DE INTERROGATION-
IBUS OBLIQUIS
APUD CICERONEM
OBSERVATIONES
SELECTAE

DE INTERROGATIONIBUS OBLIQUIS APUD CICERONEM OBSERVATIONES SELECTAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS ADIECTIS
DIE XX M. MAII MDCCCLXXXV HORA XII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

WILLIBALDUS OTTO GUTSCHE
ZULLICHAVIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

MAXIMILIANUS HAULITZSCHKE, CAND. PHIL.
BRUNO HEBESTREIT, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM.
TYPIS EXPRESSIT H. W. SCHMIDT.
MDCCCLXXXV.

PATRI CARISSIMO

S.

Eduardus Becker in accuratissima illa disputatione[1], quae „de syntaxi interrogationum obliquarum apud priscos scriptores latinos“ inscripta est, cum normam illarum interrogationum atque regulam constituisset, simili ratione, quae Ciceronis consuetudinis essent propria, cognoscere certasque usus Ciceroniani leges tradere haud alienum a studiis nostris videbatur. Quae res iam O. L. F. Hoppio[2]) digna videbatur, in quam diligentius inquireret, sed in eas tantum, in quibus coniunctivus coniugationis periphrasticae exstat, interrogationes laborem et operam contulit. Tali autem materiae circumscriptione cum Ciceronis dicendi ratio accurate explanari vix posset, ego omnibus Ciceronis scriptis perlectis eas potissimum, quae propriis particulis sunt instructae, interrogationes tractavi; praetarea singularium quorundam dicendi generum quae memorabilia mihi videbantur exempla diligenter colligere et disponere studui. Itaque in primo huius dissertationis capite de interrogationum obliquarum simplicium particulis disputabo, deinde de interrogationum obliquarum singularibus quibusdam formis, tum de interrogationibus disiunctivis, denique in appendice certa quaedam enuntiatorum genera cum interrogationibus obliquis aliqua ratione cognata tractabo.

Caput I.

De interrogationum obliquarum simplicium particulis.

§ 1. Interrogationum obliquarum duo sunt genera, quorum alterum ex iis, quae particulis interrogativis instructae sunt, constat, alterum pronominibus aut adverbiis interrogativis enuntiatio primario subiungitur. Ego nunc de priore tantum genere disputabo. Atque initio quidem pauca de iis, e quibus interrogationes pendent, verbis dicam. Primum autem verba *quae-*

[1]) W. Studemund: Stud. auf dem Gebiete des arch. Lateins. Berlin 1873.
[2]) Prgr. Gymnasii Gumbinnensis. 1879.

rendi commemoremus oportet, in quibus praecipue structura interrogativa propriam suam vim habet, velut *quaerere, requirere, rogare, interrogare*; deinde verba *sentiendi* nominanda sunt, ut *addubitare, ambigere, animadvertere, attendere, audire, communicare, considerare, consulere, deliberare, dubitare, ignorare, investigare, iudicare, nescire, scire, spectare, videre*; tum verba declarandi velut *ascribere, constituere, dicere, disserere, docere, ferre, perscribere, rescribere, respondere, scribere, statuere*; denique *substantiva* et *adiectiva* cum verbis coniuncta et *impersonalia*, velut *causa* fit, *certamen* est, *consilii* est, *controversia* est vel nascitur, *disceptatio* existit vel oritur, in *dubitationem* adduco, *dubium* est, *exemplum* est, *ignotum* est, *incertum* est, *iudicatio* est, in *iudicium* venit, *litteras* exspecto, *quaestio* est, est *σκέμμα*, *nudum* relinquitur, *certiorem* facio, *scientia* est.

§ 2. Atque ut ad id simplicium interrogationum obliquarum genus, in quo interrogatio particulis [1]) interrogativis efficitur, propius accedamus, tres potissimum esse particulas videmus, quae initio interrogationum locum suum habeant, *-ne*, *num*, *an*. Praeterea etiam alias esse adhibitas inveniemus, quibus tamen Cicero saepe usus non est. Particulae autem *-ne* et *num* eadem ratione similibusque condicionibus in obliquis ponuntur interrogationibus neque differentia earum ad vim interrogationis accuratius significandam tanta est, quantam in recta oratione fieri videmus. Nam illic cum *num* negativam habeat sententiam, *-ne* ancipitem, in interrogatione obliqua saepe iisdem vocabulis subiecta est vis et affirmativa et negativa et anceps. Iam exempla mihi liceat proponere atque ita quidem, ut verba e quibus interrogationes pendent, in certum digeram ordinem.

A.

a.

Ne sequitur verba quaerendi.

1. quaerere.

Considerantibus nobis exemplorum numerum apparet, Cicero-

---

[1]) cf. Draeger: Hist. Syntax der lat. Sprache. [B. I Leipz. 1878; B. II 1881] § 467 II b.
R. Kühner: Ausführl. Gramm. d. lat. Sprache. [Hannover 1877—79] p. 1002.

nem *quaerendi* verbum saepissime cum particula *ne* coniunxisse, paucis locis alia inveniuntur verba ita constructa. Exempla igitur haec sunt:

Verr. I 51: Ex quibus quaererem, signa scirentne fuisse, quae non essent.

78: Non quaero abs te, circumsessusne sis Lampsaci, coeperitne domum illa multitudo incendere, voluerintne legatum comburere.

II 180: Quaeram, decretumne sit.

: Quareram, remotaene sint litterae.

III 165: Ac primum hoc ex te quaero, fueritne tibi quaestui.

Font. 2: Quaero abs te, possitne tibi ipsi probata esse nostra causa.

Caec. 82: Quaero a te, simne deiectus.

96: Quaero de te, putesne, si populus iusserit, me tuum aut item te meum servum esse, id iussum aut firmum futurum.

Cluent. 105: A quibus si qui quaereret, sedissentne iudices in C. Fabricium.

144: Quaereret fortasse quispiam, displiceatne mihi periculum propulsare.

Cat. III 10: Quaesivi, cognosceretne signum; adnuit.

11: Qui cum quaesissent ab eo, nihilne secum esset locutus, tum —.

Mil. 15: Quid porro quaerendum est? Factumne sit?

57: Quid quaeris? Occideritne?

Flacc. 80: Illud quaero, sintne ista praedia censui censendo.

Dom. 8: Quaero, fueritne aliquid pertimescendum.

Har. resp. 48: Quaerebat ex eo, C. Caesare leges ferente de caelo semperne servasset.

Vatin. 11: Quaero a te, teneasne memoria.

12: Quaero a te, missusne sis a me Puteolos.

15: Secundum ea quaero, servarisne in eo fidem.

19: Quaero illud etiam ex te, conatusne sis.

27: Quaero, exspectarisne.

29: Quaero ex te, sisne dives factus.

33: Quaero etiam illud a te, postulatusne sis lege.

Sull. 36: Quaesiverunt, essentne eadem voluntate.

Sull. 39: Iam non quaero, purgetne Cassius Caesarem.
Phil. II 32: Quaerent, sitne verum.
111: Quaeris, placeatne mihi pulvinar esse.
Invent. I 11: Nam ecquid factum sit, potest quaeri hoc modo: Occideritne Aiacem Ulixes. Ecquid fiat, hoc modo: bonone animo sint erga populum Romanum Fregellani.
II 43: Maxime quaeri oportet in hac constitutione, primum potueritne aliquid fieri.
II 133: Deinde (cives) quaerere ab indicibus: passurine sint.
149: Ut quaeratur, habueritne testamenti faciendi potestatem.
De or. I 102: Hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit, quid sentias, quaerimus: existimesne artem aliquam esse dicendi.
139: In utraque re quidquid in controversiam veniat, in eo quaeri solere, aut factumne sit aut rectene factum esse videatur.
175: Nempe in ea causa quaesitum est de iure civili, possetne paternorum bonorum exheres esse filius.
De or. II 42: Infinitum mihi videbatur id dicere, in quo aliquid generatim quaereretur, hoc modo: expetendane esset eloquentia, expetendine honores.
235: De risu quinque sunt, quae quaerantur: — tertium sitne oratoris velle risum movere.
De or. III 113: Nam, ecquid in re sit, quaeritur ut illud: sitne in humano genere sapientia.
115: Si quaeratur, quot sint genera rerum expetendarum, sintne tria.
Brut. 285: In quo etiam illud quaero, Phalereus ille Demetrius, Atticene dixerit.
Or. 22: Quaerendum est, satisne id effecerint.
45: Quoniam aut sitne aut quid sit quaeritur.
174: Sed quid quaero, velisne, cum —.
Top. 82: Quaeritur, sitne aliquid.
83: Notio sic quaeritur: sitne id aequum? divisio, triane genera bonorum sint.

Top. 84: Quaeritur, expetendane sit gloria? comparate, proponendane sit divitiis gloria? De aequo et iniquo (quaeritur) : aequumne sit ulcisci; de honesto et turpi, honestumne sit pro patria mori.
85: Quaeritur, suscipiendine sint liberi.
87: Si quaeritur, idemne sit pertinacia et perseverantia.
Part. or. 43: Rectene factum sit, quaeri solet.
62: Quid sit, sic quaeratur : sitne ius id, quod —.
66: De honestate sic dicendum est : ut (si quaeritur), honestumne sit pro amico periculum subire. De utilitate sic : ut, sitne in republica administranda utile versari. De aequitate vero sic : ut, sitne aequum amicos cognatis anteferre.
Fin. II 97: Quaesivit, salvusne esset clipeus.
V 77: Nunc tantum (quaero), possitne esse tanta (vis).
79: Non quaero iam, verumne sit.
Tusc. I 104: Quaerentibus amicis, velletne Clazomenas auferri.
II 28: Quaerendum est, dolor malumne sit.
V 18: Si esset quaesitum, satisne virtus posset.
33: Non ego id quaerendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit.
Nat. D. I 57: Quaeras, putemne talem esse —.
III 67: Non id quaeritur, sintne aliqui, qui deos esse putent.
Div. II 9: Quod Carneades quaerere solebat, quarumnam rerum divinatio esset, earumne, quae sensibus perciperentur.
Rep. VI 4: Quaesivi, viveretne Paulus pater.
Leg. III 15: Quaesitum ab illis est, placeretne unum in civitate esse magistratum.
Off. I 7: Occurritur, nobis quaerentibus, satisne constanter facere videamur.
Off. III 39: Non quaerimus, possintne celare.
91: Quaerit, soluturusne sit.
Quaerit, debeatne dicere.
Senect. 47: Cum ex eo quidam quaereret, utereturne rebus veneriis.
Att. I 14,1: Quaesivit ex eo, placeretne ei iudices a praetore legi.

Att. II 12,2: Ille ex me (quaesivit), nihilne audissem novi.
IV 11,1: Se statim venturos, ut rationes cum publicanis putarent : quaesivi, gladiatoribusne.
IX 1,2: Quaero, quid acturi sint, iturine ad Pompeium.
XII 24,2: Item quaero de Regillo, rectene meminerim.
XIV 10,3: Quod quaeris, iamne ad Centena Cluviana.
XV 6,2: Rurene iam redierim, quaeris.
Fr. A. XII 8: [1]) Quaero ab inimicis, sintne haec investigata.

2. interrogare.

Cluent. 33: Uxorem suam interrogavit, essetne praegnans.
Sest. 126: At vero ille praetor, qui de me contionem interrogare solebat, velletne me redire.

3. rogare.

Verr. IV 27: Rogavi, pervenissentne Agrigentum.
150: Haec sum rogaturus, navem populo debeantne.
De or. II 278: Rogavit hunc, videreturne misericordiam novisse.
Fin. II 97: Rogavit, essentne fusi hostes.
IV 69: Roges Aristonem, bonane ei videantur haec, vacuitas doloris —.

4 requirere.

Flacc. 55: Nunc tantum requiro, quam pecuniam a se ablatam querantur, suamne dicam, sibi a civitatibus collatam in usum suum.
Div. I 12: Quod faciebat etiam Panaetius, requirens, Iupiterne cornicam a laeva, corvum a dextera canere iussisset.
II 97: Ego etiam haec requiro : omnesne, qui Cannensi pugna ceciderint, uno astro fuerint.

5. exquirere.

De or. III 112: Agendi consilium exquiritur, ut : sitne sapienti capessenda respublica.

6. anquirere.

De or. III 113: Consecutio tractatur, cum quid quamque rem sequatur, anquiritur, ut illud : sitne aliquando mentiri boni viri.

---

[1]) M. Tulli Ciceronis librorum deperditorum fragmenta ed. C. F. W. Mueller, Lips. 1879. (Ciceronis opera, part. IV vol. III p. 231 sqq.)

7. consulere.

Div. I 32: Id possetne fieri, consuluit.

I 122: Xenophonti consulenti, sequereturne Cyrum.

Fam. I 9,8: Integra re mihi ad consulendum, capesseremne rempublicam.

b.

ne pertinet ad verba, quae sentiendi significationem habent vel similem.

1. ambigere.

De or. II 135: Ubi de facto ambigitur, ceperitne contra leges pecunias Decius.

2. animadvertere.

Fin. II 20: Animadverte, rectene hanc sententiam interpreter.

3. attendere.

Invent. II 175: In commoditatis ratione modo illud attendatur, dignane causa videatur ea, quae —.

Fin. V 8: Piso exorsus est, cuius oratio attende, quaeso, satisne videatur Antiochi complexa esse sententiam.

4. communicare.

Att. XII 29,2: Cum iis communices — sintne auctores futuri.

5. considerare.

Invent. II 45: Facilius ad inventionem animus incedet, si considerabit : constetne oratio aut cum re aut ipsa secum.

170: Sin aliquae res incident difficiles, in illa superiori, possitne fieri, quaestione considerabimus.

De or. II 205: Equidem primum considerare soleo, postuletne causa.

Fam. XIV 14,1: Reliquum est, quod ipsae optime considerabitis, vestri similes sintne Romae.

Att. VIII 3,2: Utrumque considerandum est et quanta fides ei sit habenda et sitne viri fortis et boni civis esse in ea urbe.

Att. XIII 14,4: Illud consideres velim, placeatne tibi mitti.

6. deliberare.

Off. III 40: Non cum hoc deliberetur, relinquendane sit honestas, sed illud, possitne id fieri non turpiter.

Att. XIV 17,4: Ut deliberarem, reddendaene essent.

7. dubitare.

Cael. 37: Dubito, quem patrem potissimum sumam, Caeciliumne aliquem vehementem atque durum?
Fin. V 85: Dubitabant, sintne tantum in virtute.
Div. II 145: Matrona dubitans, essetne praegnans.
Fam. II 17,5: Dubitabam, venturaene legiones essent.
Att. XII 52,2: Nescio quid videris dubitare de Clodia: utrum, quando veniat, an sintne venales.
XV 9,2: Dubitabam, tu has ipsas litteras essesne accepturus.

8. ignorare.

Att. VIII 15,1: Ignoras, Domitius cum fascibusne sit.

9. investigare.

Att. XII 17: Velim des operam, ut investiges ex tabulis sitne ita.

10. iudicare.

De or. II 158: Iudicent, rectene adiuncta sint et verane summa sit unius cuiusque rationis.
Fin. III 76: Ut tum denique iudicetur, beatusne fuerit.
Fam. V 2,4: Velim iudices, satisne videatur respondisse.

11. nescire.

Fam. II 5,2: Haec ipsa nescio, rectene sint litteris commissa.
Att. VI 2,8: Haec puto, me Bruto probaturum, tibine nescio.
VII 11,4: Mira hominum querela est, nescio isticine, sed facies, ut sciam.

12. scire.

Att. VI 3,2: Ut iam scirem, possetne ab eo impetrari.
X 3: Cum hæc reliqua essent, quae scire cuperem, profectusne esset.
XII 3,1: Velim scire, hodiene statim de auctione.
24,1: Publius iturusne sit, ex Aledio scire poteris.
48: Velim scire, quid tibi restet, aut iamne confeceris.

13. spectare.

Caecin. 85: Spectari oportere, sitne facta vis.

14. videre.

Verr. II 19: Videte, satisne paratus venerit.
Flacc. 18: Videndum est, sintne haec testimonia putanda.
Dom. 14: Videte nunc, fuerintne partes meae praecipuae.
Invent. I 39: Nam saepe oportet — videre, potueritne aut magni-

tudo negotii aut multitudo rerum in eo transigi tempore.

Fin. II 77: Vide, quaeso, rectene sit.

V 87: Quare hoc videndum est, possitne nobis hoc ratio philosophorum dare.

Acad. I 14: Videamus, idemne Attico placeat, fieri a me. Quid est, quod malim, quam videre, satisne ea commode dici possint Latine. (cf. Acad. II 96 infra.)

Nat. D. III 65: Videamus ea, quae sequuntur, primum deorumne providentia mundus regatur, deinde consulantne di de rebus humanis.

C.

Ne pendet e verbis declarandi, quae quidem rarius interrogationes obliquas recipiunt.

1. ascribere.

Q. fr. II 11,4: Quod ascribis, aggrediarisne ad historiam.

2. constituere.

Att. XV 3,1: Erit nobis constituendum, tutine Romae esse possimus.

3. dicere.

Tusc. V 35: Tu ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit.

De or. III 109: Dicunt illi — hoc modo: Placeatne a Carthaginiensibus captivos nostros recuperari.

Part. or. 66: De honestate sic dicendum est: ut, honestumne sit, — de utilitate, sitne utile, de aequitate vero sic, ut, sitne aequum, amicos cognatis anteferre.[1])

4. disserere.

De or. III 15: Si disseratur, idne sit ius.

116: Simplex est disceptatio, ut, si disseratur, expetendane sit gloria.

Fin. I 12: An, partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes?

---

[1]) Verba „tantulane causa“ ad Att. IV 8^b,3 interrogationem directam esse apparet.

5. docere.

Fam.XV 16,2: Doceas tu me oportebit, in meane potestate sit spectrum tuum.

6. ferre.

Fin. II 54: Ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo Scaevola ferret ad populum, vellentne de ea re quaeri.

7. perscribere.

Att. VI 9,5: Tu mihi perscribes, — referaturne.

Att. XV 13,6: Perscribe, quae causa sit Myrtilo, et satisne pareat.

8. respondere.

Vatin. 21: Volo, uti mihi respondeas, fecerisne ante rostra pontem.

23: Simulque mihi respondeto, fuerisne non tribunus plebis, sed intolerandus ex scaeno nescio qui.

Leg. I 3: Non ante quam tu mihi ipse responderis, certene Romulus Proculo Iulio dixerit se deum esse. et verumne sit.

9. scribere.

Att.XIII 16,2: Velim scribas ad me, primum placeatne tibi aliquid ad illum, deinde, si placebit, hocine potissimum.

10. statuere.

Verr.a.pr.47: In hoc homine statuetur, possitne senatoribus iudicantibus homo nocentissimus damnari.

d.

Enuntiatum primarium constat e substantivis aut adiectivis, quae plerumque cum verbo sunt coniuncta. Atque addendum videtur in rhetoricis et philosophicis potissimum scriptis Ciceronem hanc consuetudinem secutum esse. Praeterea in has interrogationes si diligentius inquirimus, saepe conexum duorum enuntiatorum laxum et remissum videmus esse, ita ut saepe ad rationem, qua haec inter sese coniunguntur, perspiciendam verbum, quod quidem ad sententiam declarandam sit accommodatum, subintellegendum sit. Nam ut alia omittam exempla, conferenda sunt haec duo:

Top. 82: Cognitionis sunt hae, quarum finis est scientia: ut si quaeratur, a naturane ius profectum sit —.

et Part. or. 62: Cognitionis scientia est finis, ut, verine sint sensus. Atque eodem modo alia huius generis enuntiata explicari possunt. Exempla autem haec sunt.

α.

substantiva.

1. certamen.

Phil. XIII 47: Quodsi partium certamen esset, quarum omnino nomen exstinctum est, Antoniusne potius et Ventidius partes Caesaris defenderent.

2. controversia.

Invent. I 18: Ex ea nascitur controversia, quam quaestionem dicimus, hoc modo: iurene fecerit.

De or. II 113: Nam illud quidem, quod quidam Graeci adiungunt (in controversiam cadere) : rectene factum sit, totum —.

137: Sin illa controversia causam facit, videaturne ei, quem pater patratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse.

Fam. VII 22: Dixeram controversiam esse, possetne heres recte agere.

3. disceptatio.

Part. or. 105: Existit illa disceptatio: Minueritne maiestatem, qui —.

106: Oritur illa disceptatio : Potueritne recte civem indemnatum necare.

4. dubitatio.

Fam. III 5,3: Itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, visurusne me sis in provincia.

5. consilium.

Fam. VIII 10,5 (Caelius): Tui consilii est, velisne perseverare.

6. exemplum.

Top. 82: Actionis huiusmodi exempla sunt: sitne sapientis ad rempublicam accedere.

Off. I 7: Superioris generis huius modi sunt exempla, omniane officia perfecta sint.

7. iudicatio.

Invent. II 52: Iudicatio est, minuatne is maiestatem.

64: Iudicatio est, unane pecunia fuerit.

Invent. II 64: Iudicatio nascitur: possintne esse heredes.
79: Iudicatio fit, oportueritne eam a fratre indemnatam necari.
87: Iudicatio est, oportueritne eos conficere nihilominus legationem.
95: Iudicatio est, sitne supplicio dignus.
97: Iudicatio est, supplicione dignus sit.
98: Iudicatio est, oporteatne eam navim publicari.
111: In deprecatione, huius modi (erit iudicatio): oporteatne poena affici.

8. iudicium.

Tull. 12: Ut hoc solum in iudicium veniret, videreturne vi hominibus coactis armatisve damnum dolo malo familiae datum.
Mil. 31: Illud iam in iudicium venit, non, occisusne sit, quod fatemur, sed —.
De or. II 132: Veniet in iudicium: licueritne ex senatus consulto.[1]

9. quaestio.

Invent. II 15: Quaestio eadem in coniecturali: occideritne.
52: Quaestio est, maiestatemne minuerit.
70: } Quaestio est, oportueritne.
87: }
92: Quaestio est, oporteatne.
79: Quaestio est, iurene occiderit.
De or. II 141: Omnis quaestio, videaturne is heres esse.
Or. 180: Est longioris viae prima illa quaestio, sitne omnino ulla numerosa oratio.
Part. or. 64: Primum genus est quaestionis, possitne aliquid effici.
104: Adversariorum contentio diffusam habet quaestionem, ut in coniectura: ceperitne pecunias Decius, in definitione, minueritne maiestatem.
Tusc. IV 29: Pertubationis sintne eiusdem partis, quaestio est.
Off. III 89: Plenus est liber talium quaestionum. sitne boni viri.

[1]) Vix est, quod addam, in his tribus enuntiatis interrogationem a voce *iudicium* non pendere, sed subiectum esse periodi. atque ita quidem ut duobus prioribus locis pronominibus *hoc* et *illud* adiungatur.

10. scientia.

Part. or. 62: Eius scientia est finis, ut, verine sint sensus.

11. σκέμμα.

Att. VII 8,3: Est πολιτικὸν σκέμμα, rectumne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento.

X 1,3: Sit τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, veniendumne sit.

β.

adiectiva.

1. certus.

Fam. XI 2,2: (Brutus et Cassius) Facias nos certiores tuae voluntatis in nos, putesne nos tutos fore.

2. dubius.

Att. IV 8ᵃ,1: In oppido est quiddam, de quo est dubium, sitne venale.

3. ignotus.

Off. III 39: Si id futurum sit ignotum, sisne facturus.

4. incertus.

Sex. Rosc. 47: Cum et illud incertum sit, velintne in sese nominari.

Caecin. 74: Si incertum est, quaecunque tua iure mancipii sunt, ea possisne retinere.

Att. XV 9,2: Erat incertum, visurusne te esset tabellarius.

5. nudus.

Tusc. V 14: Hoc nudum relinquitur, possitne quis beatus esse, quamdiu torqueatur.

Posteaquam igitur locos, quibus interrogatio obliqua *ne* particula indicata est, congessi, paucis, quemadmodum haec particula soleat adiungi, exponere mihi liceat. Cum enim multi grammatici — ut Seyffert[1]) in gramm. lat. § 306 — cum eo, quod aliquid ponderis habeat, vocabulo, et, si illud desit, cum verbo *ne* coniungi dicant, centum et quadraginta uno locis hanc particulam ad verbum et sexaginta et quattuor ad aliud vocabulum se applicasse videmus, quamquam plerumque, ut interrogationis natura fert, vocabula, ad quae maxime sententia per-

[1]) Fr. Ellendt's Lat. Schulgramm., bearb. von Mor. Seyffert. XX verb. Aufl. von M. A. Seyffert und H. Busch. Berl. 1878.

tineat, non desunt. Hac igitur re concluditur Ciceronem *ne* particulam potius verbo adiungi voluisse. Quin etiam diligentius nobis in hanc rem inquirentibus exempla occurrunt, in quibus *ne* particula et ad verbum et ad aliud vocabulum ita accedit, ut nullum fere videatur esse discrimen, velut:

Invent. II 95: Iudicatio est. sitne supplicio dignus.
97: Iudicatio est, supplicione dignus sit.
Part. or. 66: De honestate sic dicendum est: ut, honestumne sit —, de utilitate, sitne utile, de aequitate vero sic, ut sitne aequum, amicos cognatis anteferre.
Nat. D III 65: Videamus ea, quae sequuntur, primum deorumne providentia mundus regatur, deinde consulantne di de rebus humanis.

Praeterea conferenda sunt Invent. I 11 et Fin. II 97.

Neque praetereundum est semper fere initio enuntiati particulam poni raroque in mediam aut in extremam partem transferri; novem enim locis eam in medio enuntiato esse positam videmus: Har. resp. 48, Brut. 285, Tusc. II 28, Acad. II 96, Att. XV 9,2, Fam. XIV 14,1, Fin. I 12, Tusc. IV 29, Att. XII 24,1; et uno loco in extremo: Verr. IV 150.

Atque ut conclusa mihi iam haec sit omnis pars, paucis, verba, a quibus particula pendet, quemadmodum collocentur, commemorabo. Omnibus igitur fere in exemplis his verbis interrogationes obliquae succedunt, septem autem locis antecedunt, et *quaerere* postpositum invenimus in Part. or. 43 et Att XV 6, 2., *consulere* in Div. I 32, *scire* in Att. XII 24, 1, *nescire* in Att. VI 2,8, *disserere* in Fin. I 12, *quaestionem esse* in Tusc. IV 29. Denique addo, uno loco Verr. I 78 a Cicerone ter deinceps et sex locis Invent. I 11, De or. I 139, II 42 et 158, Nat. D. III 65, Leg. I 3 bis deinceps hanc particulam in interrogationibus obliquis positam esse.

B.

Iam omnibus *ne* particulae exemplis allatis nunc in eas intueamur interrogationes, quarum initio *num*[1]) exstat, quae in

[1]) Draeger: Syntax, § 467 II c. Kuehner: Gramm. § 221 p. 1008.

Ciceronis scriptis non tanto inveniuntur numero quanto illac. Atque sicut *ne* ita etiam *num* particulam in interrogationibus obliquis certam non habere vim, id quod grammatici dudum observaverunt, supra commemoravi, locosque ubi et negativa et affirmativa exstet sententia inveniri nemo nescit Ceterum postea ad hanc rem redibo. Iam accedamus ad singulas huius particulae species.

a.

Interrogatio pertinet ad verba quaerendi,

1. quaerere.

Ad hoc verbum plurima huius quoque generis exempla referuntur (quamquam, ut dixi, *num* non tam frequenter legitur quam *ne*), ita ut ceteris omnibus verbis multo rarius *num* adiungatur.

Exempla autem haec sunt:

Sex. Rosc. 59: Credo cum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quaesisse, num ille aut ille defensurus esset.

Verr. III 40: Sed in hoc loco quaeretis, num quas ex hisce rebus pecunias ceperit.

IV 11: Quaerendum est, Heius iste num aes alienum habuerit, num tanta difficultas eum tenuerit.

27: Cum quaesissem, num quid aliud de bonis eius pervenisset ad Verrem.

Cluent. 62: Quaero de te, num Fabricios quoque innocentes condemnatos putes, num etiam illa iudicia pecunia corrupta esse dicas.

137: Quaero a vobis, num istam legem ex isto senatus consulto L. Lucullus tulerit.

Sull. 36: Quaero, num Sullam dixerit Cassius.

39: Ego non hoc quaerendum arbitror, num purgetur aliqui, sed num arguatur.

78: Quaeratur, num quae occultetur libido, num quod lateat facinus.

Dom. 35: Nisi forte ex te ita quaesitum est, num perturbare rempublicam velles.

77: Quaero, num id iussum esset ratum.

Sest. 78: Hic iam de ipso accusatore quaero, qui P. Sestium queritur cum multitudine in tribunatu et cum praesidio magno fuisse, num illo die fuerit.

Vatin. 5: Quaero a te, num legem aliquam Cornelius contra auspicia tulerit.

15: Quaero, num tu senatui causam tuam permittas.

22: Quaero, num quis ante te tam fuerit nefarius.

34: Quaero ex te, num quis in hac civitate post urbem conditam tribunos plebis appellarit, ne causam diceret.

41: Hoc quaero, num P. Sestium condemnari putes oportere

Planc. 62: Quaeris, num disertus sit.

65: Concidi paene, iudices, cum ex me quidam quaesisset, num quidnam esset novi.

70: Quaero ex te, num id putes.

Phil. II 110: Quaero, num, hodiernus dies qui sit, ignores.

Invent. I 11: Ecquid sit futurum, hoc modo potest quaeri, num quid sit incommodi ad rempublicam perventurum.

II 43: Necessitudo in qua num necesse fuerit id aut fieri aut ita fieri, quaeritur.

44: In quo quaeritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri.

Invent. II 113: In hominem (quaeretur): num alieni laboris aut deorum bonitatis praemium sibi postulet.

De or. I 61: Quaero, num possit aut contra imperatorem aut pro imperatore dici sine rei militaris usu.

182: Quaesitum est, num is ad suos postliminio rediisset et amisisset hanc civitatem.

Fin. II 115: Quaero, num existimes, non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, sed Phidian, Polyclitum, Zeuxim ad voluptatem artes suas direxisse.

IV 12: Cum quaereretur res admodum difficilis, num quinta quaedam natura videretur esse.

Acad. II 11: At ille Heracliti memoriam implorans quaerere ex eo, — ea num vel e Philone vel ex ullo Academico audivisset.

Tusc. V 42: Quaesiverunt, num se esset etiam mori prohibiturus.

Fat. 6: Quaero, si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, num aliter, ac nunc eveniunt, evenirent.

Off. I 159: Illud forsitan quaerendum sit, num haec communitas sit etiam moderationi modestiaeque semper anteponenda.

III 54: Quaero, num id iniuste aut improbe fecerit.

59: Quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam piscatorum essent.

Senect. 22: Tum senex dicitur quaesisse, num illud carmen desipientis videretur.

Parad. 10: Quaero a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii —.

Att. II 1,5: Quaerit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare.

XIII 8: Velim alicui des negotium, qui quaerat, Q. Staberii fundus num quis in Pompeiano Nolanove venalis sit.

2. interrogare.

Cluent. 105: Si interrogarentur, num quo crimine is esset accusatus.

Cat. I 13: Exire ex urbe iubet consul hostem: interrogas me, num in exilium.

Part. or. 133: Eum interrogare oportebit, num aut scriptum neget aut contra factum infitietur.

3. rogare.

Mur. 69: Rogatos esse multos, num aut criminosum sit aut mirandum.

De or. II 259: Qui te rogasset, num tibi molestus esset futurus.

Acad. II 43: Quid agant, si, cum aliquid definierint, roget eos quispiam, num illa definitio possit in aliam rem transferri quamlubet.

Q. fr. III 1;22: Hippodamus ne num quid vellem quidem rogavit.

Att. V 2,2: Cum me exiens e villa, num quid vellem, rogasset.

VI 3,6: Num quid vellem, rogavit.

4. requirere.

Cael. 50: Ex te ipsa requiro, num tibi perturpe aut perflagitiosum esse videatur.

5. exquirere.

Deiot. 42: Exquire de Blesamio, num quid ad regem contra dignitatem tuam scripserit.

Att. VIII 12,6: Volo etiam exquiras, num quem accusent, num cui succenseant, num cui? num Pompeio!

6. consulere.

Dom. 130: Consilium vestrum consuluit, num quid esse causae videretur.

b.

Enuntiatum primarium verbis sentiendi efficitur, cuius usus non multa inveniuntur exempla.

1. addubitare.

Fam.VII 23,1: Primum addubitavi, num a Volumnio senatore (epistula) esset.

2. attendere.

Phil. XII 23: Attendite, quaeso, num aberret a coniectura suspicio periculi mei.

Invent. I 43: Attendendum est, num quae res ex iis rebus consequantur.

II 68: Attendendum est, num quos locos communes ipsa res ostendat.

119: Diligenter illud attendere oportebit, num res utilior videatur.

3. audire.

Vatin. 37: Illud audire a te cupio, num quem putes illius tui certissimi gladiatoris similem tribunum plebis posse reperiri.

4. considerare.

Invent. I 87: Cum, his concessis, complexio ex his non conficitur, haec sunt consideranda, num aliud conficiatur, aliud dicatur.

5. dubitare.

Sull. 68: Si quis dubitasset, num id, quod tu arguis, cogitasset.

6. scire.

Att. IV 9,1: Velim scire, num censum impediant tribuni.

XII 8: Scire velim, num quid necesse sit.

Att. XII 22,2: Scribas ad me, cum scies, num Clodia D. Bruto consulari, filio suo, mortuo vixerit.

XIV 5,3: Velim scire, qui adventus Octavii, num qui concursus ad eum.

7. videre.

Imp. Cn. Pomp. 19: Quare videte, num dubitandum nobis sit.

Har. resp. 31: Videbo, num mihi necesse sit de aliis etiam aliquid dicere.

Att. VII 9,2: Videbis, num quid fuerit in iis.

c.

Num se applicat ad verba declarandi, quae etiam rarius ita usurpata inveniuntur quam verba sentiendi.

1. docere.

Leg. agr. III 15: Doceat ipse, num ego quem possessorem defendam.

2. rescribere.

Att. II 5,3: Tu de Curtio rescribe certius, num quis in eius locum paretur.

3. respondere.

Vatin. 17: Volo, ut mihi respondeas, num quis legem sit ausus ferre, praeter unum te.

18: Illud volo, uti respondeas, num quem ex omnibus tam audacem audieris fuisse.

4. scribere.

Att. XI 14,3: Ad te scribam, num quid egerim.

d.

Num pertinet ad substantiva cum verbo coniuncta.

1. litterae.

Att. II 5,2: De istis rebus exspecto tuas litteras; num quae leges et num quid novi omnino.

2. quaestio.

De or. II 134: De ipso universo genere infinita quaestio est, num poena videatur esse afficiendus, qui —.

Lael 67: Existit hoc loco quaedam quaestio subdifficilis, num quando amici novi veteribus sint anteponendi.

Hi igitur sunt loci, in quibus *num* ita usurpatum legitur. In quos si diligentius intuemur, primum videmus, ut supra dixi,

hanc particulam ad sententiam interrogationis obliquae conformandam certam vim non afferre, deinde autem *num* a *ne* alio quodam modo distingui dilucide apparet. Etenim et exemplorum numerus multo minor et harum interrogationum ratio alia videtur esse. Ac primum quidem magnam illorum locorum partem pronomina aut adverbia indefinita exhibere invenimus, quos locos eiusmodi esse, ut eum, qui interrogat, de ea, quam scire vult, re prorsus in incerto esse facile appareat. Sine illis pronominibus autem vel adverbiis *num* apud Ciceronem in iis potissimum interrogationibus locum habet, quae cum contentione quadam prolatae esse videntur. *Num* igitur maioris ponderis particulam quam *ne* esse nemo negabit, id quod etiam ita perspicere possumus, si in eos, quibus utraque particula posita est, inquirimus locos, qui quidem ita sunt comparati, ut prior interrogatio *ne* particula efficiatur, tum altera, quippe quae urgeatur, *num* particulam recipiat:

De or. III 116: Nam aut simplex est disceptatio, ut, si disseratur, expetendane sit gloria —. Simplicium autem sunt tres modi. De expetendis fugiendisve rebus; ut expetendine honores sint, num fugienda paupertas.

Part. or. 99: De constituendo ipso iudicio solet esse contentio, cum aut, sitne actio illi, qui agit, aut iamne sit aut num iam esse desierit, quaeritur.

Acad. II 11: At ille Heracliti memoriam implorans quaerere ex eo, viderenturne illa Philonis aut ea num vel e Philone vel ex ullo Academico audivisset aliquando.

Off. I 7: Omnis de officio duplex est quaestio : superioris generis huius modi sunt exempla : omniane officia perfecta sint, num quod officium aliud alio maius sit.

Ad reliquas particulas interrogativas priusquam transeo, commemorandum videtur et *numquid* et *ecquid* interdum etiam in obliquis interrogationibus ita posita esse, ut eandem quam *num* obtineant sedem. *Numquid* particula ita usurpata apud Ciceronem ter invenitur:

Q. fr. II 2,1: Me nemo adhuc rogavit, numquid in Sardiniam vellem.

Q. fr. II 2,1 : Te puto saepe habere, qui, numquid Romam velis, quaerant.
Att. XII 8: Scire sane velim, numquid necesse sit comitiis esse Romae.

Haec sola sunt huius usus exempla, quae afferre possum; vides autem, ea in epistulis tantum exstare. Paullo crebriores neque solum epistularum propriae sunt interrogationes, quae *ecquid* particula efficiuntur.

Invent. II 113: In hominem quaeritur, ecquid aliquando tale fecerit.
Opt. gen. 18: A quo quaeratur, ecquid possint ipsi melius Latine.
Tusc. I 13: Tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere.
Att. I 17,4: Ecquid tantum causae sit, nescio.
V 13,3: Imprimisque perscribe, ecquid iudiciorum status aut factorum aut futurorum laboret.
XII 29,2: Denique intelleges, ecquid inclinent ad hoc meum consilium adiuvandum.
Fam. VII 16,3: Quid agatis et ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac plane sciam.

§ 3. *Nonne*[1]) particula, quam affirmativam vim habere constat, a Cicerone paucis locis post *quaerere* posita est:

Phil. XII 15: Quaero a te, nonne oppressam rempublicam putes
Or. 214: Quaero, nonne id numerus effecerit.
Fin. II 58: Ego ex te quaero, nonne intellegas eo maiorem vim esse naturae.
III 13: Quaero, nonne tibi faciendum idem sit.
Acad. II 76: Ex me quaesiens, nonne putarem.
Tusc. V 34: Cum esset ex eo quaesitum, Archelaum nonne beatum putaret.

§ 4. Posteaquam *ne, num, nonne* particulae quibus condicionibus in obliquis apud Ciceronem interrogationibus positae essent, docui, reliquum est, ut usus vocis *an*[2]) quemadmodum comparatus sit, explicem. Notissimum autem est, *an* cum certis quibusdam verbis coniunctum dubitationem quandam aut coniec-

---

[1]) cf. Draeger: Synt § 467 II e; Kuehner: Gramm. § 232 p. 1011.
[2]) cf. Draeger: Synt. § 467 II d; Kuehner: Gram. § 235.

turam significare, ita ut hae locutiones quasi adverbii *fortasse* vice fungantur.

Ceterum cum *an* particula sedem suam propriam in disiunctivis obtineat interrogationibus, locos huc pertinentes ad illam rationem referamus oportet. Quod cum ita sit, dicendum est — si quidem ad originem huius dicendi generis spectamus — priorem interrogationis partem, quae facile intellegi potest, omitti et alteram, quippe quae urgeatur, statim subsequi. Atque ut grammaticorum nonnullorum sententias, quae in hac re fere concinunt, afferam, Gernhard, qui semel atque iterum[1]) de hac re instituit quaestiones, in Seebodii annalibus, qui „Archiv für Philologie und Paedagogik" (1824 I p. 104) inscribuntur, haec dicit: „Eine Doppelfrage tritt unvollständig oder nur zur Hälfte hervor, mit Wegfall der andern Hälfte, welche sich entweder leicht verstehen läfst oder wegen ihrer Unwichtigkeit unnötig ist zu verstehen, aber durch ihren Wegfall bei der gewöhnlich lebhaften Verwendung für die mitzuteilende Meinung dem andern ausgedrückten Fragglied mehr Gewicht giebt. cett." Ac similem protulit sententiam Hand[2]), quam in Tursellino (I p. 314] his verbis exposuit. „Dicitur igitur *nescio* an, *haud scio an;* et illud *an*, quod ex disiunctiva sententia desumptum est, duplicem habet rationem. Omittitur enim illa prior pars, dum in altera, quae verbis exprimitur, maior vis insistit, per appositionis potestatem aucta." Praeterea conferenda sunt, quae de hac re disputaverunt Hermann in Ephemerid. Lips. 1819 (p. 975), Weifsenborn[3]) in synt. § 266,1, Krueger[4]) in gramm. lat. § 519,2, Kuehner in gramm. II 235,5.

Sed hoc cum sit perspicuum, transeamus ad singulas huius generis species. Primum enim pendet *an* ex

1.

haud scio et *nescio.*

Atque ad haec verba si diligentius animos attendimus et Cicero utrum *haud scire* an *nescire* saepius adhibuerit, quaerimus,

---

[1]) Commentatio gramm. de formula nescio an, vel haud scio an (opusc. Lips. 1836); Seebodii Nova Sylloge 1826 I p. 18; Exc. ad Cic. Lael. p. 246.

[2]) Handii Tursellinus de part. lat. comm. Lips. 1829—45.

[3]) Weifsenborn: Synt. lat. Eisenach 1835.

[4]) G. T. A. Krüger: Gramm. d. lat. Sprache. Hannover 1842.

illud verbum multo pluribus locis positum invenimus, ita ut illius verbi cum *an* particula coniunctio videatur usitatior fuisse. Omitto hoc loco, quae et Gernhard in Seebod. Syll. (p. 104 l. c.) de discrimine verborum *haud scio an* et *nescio an* et Hand in Tursell. (p. 319 I) de natura adverbii *haud* disseruerunt, in eandem atque Hand adductus sum sententiam Ciceronis nullum locum esse, in quo non una forma cum altera commutari potuerit. Praeterea mea quidem sententia, si discrimen ullum fuisset quod Augusti temporibus *nescio an* fere solum invenitur difficile esset ad explicandum.

Videamus nunc cetera, quae ad usum horum verborum Ciceronianum pertinent. Ac primum quidem commemorandum est, ad primam potissimum indicativi praesentis personam *an* se applicare, raro eandem coniunctivi personam antecedere. Satis autem notabile videtur Ciceronem uno loco (Rep. I 11: „Propterea, quod omnia essent ei praeparanda, quibus nesciret an aliquando uti necesse esset.“) a vulgari consuetudine recedere et ad tertiam coniunctivi imperfecti personam *an* referre.

Iam ut de sententia his interrogationibus obliquis a Cicerone attributa quid grammatici nonnulli senserint commemorem, Gernhard dicendi illam formam neque ad veram inscitiam neque ad dubitationem vel in cogitando vel in agendo significandam, sed aut ad sententiam corrigendam aut ad eius acerbitatem mitigandam adhiberi dixit, praeterea semper vim affirmativam praebere et per verba quae sunt *fortasse* aut *vel potius* aut *opinor, suspicor* explicari. Idem fere Hand in Tursell. (p. 316 I) docere videtur: „Cicero, inquit, Livius et alii scriptores *nescio an* et *haud scio an* ita dixerunt, ut affirmationem ponerent non modo ex aliena aut ironice dicta sententia, quam nos reddimus verbis „ich weifs doch nicht“, sed ob urbanitatis moderationem et in adhibenda prudentiae cautione. Nam verecundiae et urbanitatis et prudentiae causa ea, quae, si animum declarare et ingenue loqui deceret, nobis affirmanda essent, ad dubitationem et simulatam inscitiam referimus, quasi nesciamus vel dubitemus, utra e duabus rebus probari debeat, tamen alteri rei, quae aliena, aut aliis hominibus minus probabilis videatur, maiorem probabilitatem tribuamus.“ Similiter iudicavit Weissenborn, qui illas regulas quodam modo dilatavit, cum diceret (synt. § 216,1):

„Nicht selten ist der Zweifel auch nur verstellt, bisweilen liegt wirkliche Ungewiſsheit zu Grunde; in der Regel aber dienen jene Ausdrücke nur, eine Behauptung als eine bescheidene hinzustellen, so daſs sich der Sinn derselben durch „vielleicht wohl“ wiedergeben läſst und wenig von *fortasse* verschieden ist.“ Breviter denique et summatim Dräger (§ 467 II d. l. c.) particulae usum adumbravit: „*An*, inquit, steht auch überall den Zweifel und die Ungewiſsheit bezeichnend in einfacher indirekter Frage. Cicero hat es auſser in den zur Bejahung hinneigenden Phrasen (*haud scio* cett.) in der einfachen indirekten Frage wohl noch nicht gesetzt. Ohne negativen Ausdruck haben diese Phrasen in der klassischen Zeit sehr selten einen negativen oder zweifelnden Sinn.“

Sed priusquam exemplis allatis, qua sententia potissimum a Cicerone in talibus enuntiatis *an* positum sit, demonstro, paucis commemorare mihi liceat, verba *haud scio an* et *nescio an* ad unius rei significationem spectantia et mediae orationi interposita quasi adverbii locum obtinere posse, ita ut *an* aliud verbum non recipiat et verbum indicativi formam praebeat:

Off. I 72: Capessentibus rempublicam nihilo minus quam philosophis, haud scio an magis etiam et magnificentia et despicientia adhibenda est rerum humanarum.

II 64: Quantum liceat et nescio an paulo plus etiam quam liceat.

III 105: Quorum testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum Regulum nolite vituperare.

Nat. D. II 11: Vir sapientissimus et haud sciam an omnium praestantissimus peccatum suum confiteri maluit, quam —.

Leg. II 57: Quod haud scio an timens, ne suo corpori posset accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremare.

Eodem pertinent quodam modo haec enuntiata:

Rep. II 43: Nam ipsum regale genus civitatis non modo est reprehendendum, sed haud scio an reliquis anteponendum.

Flacc. 63: Cuius ego civitatis disciplinam non solum Graeciae sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam.

Iam omnia exempla ubi ab *an* enuntiatum secundarium pendet afferam.

I.

Ac primum quidem *nescio an* vel *haud scio an* formulis sententiae affirmative expressae asperitas mitigatur in iisque potissimum enuntiatis hoc ita se habet, in quibus vel comparativus vel superlativus exstat.:

a.

Comparativus invenitur.

α.

post *haud scio an.*

Verr. I 41: Haud scio an maior etiam haec necessitudo fuerit, quam illa Carbonis.

Planc. 66: Haud scio an plus mihi profuerit.

Mil. 92: Haud scio an multo sit etiam adiuvandus magis.

De or. I 61: Atque haud scio an minus hoc vobis sim probaturus.

Or. 143: Haud scio an plerique nostrorum ingenio plus valuerint quam doctrina.

Nat.D. III 69: Haud scio an melius fuerit.

Att. XV 9,1: Haud scio an melius sit.

Praeterea conferenda sunt[1]) Off. III 6, Senect. 73, Att. III 6 et XIV 11,2, qui loci postea afferentur.

β.

post *nescio an.*

Cat. IV 9: Nescio an amplius mihi negotii contrahatur.

Lig. 26: Nescio an melius patientiam dicere possim.

Huc pertinent etiam loci Att. IV 8 b,2, Off. II 64 (v. supra).

b.

Superlativus legitur.

α.

post *haud scio an.*

Sest. 58: Illi sceleri haud scio an recte hoc proximum esse dicam.

---

[1]) Hi loci infra allati sunt.

Har. resp. 10: Gaudeo mihi de toto hoc ostento, quod haud scio an gravissimum multis his annis nuntiatum sit.

De or. I 225: Neque enim hoc te fallit : id quod haud sciam an tu primus ostenderis.

Brut. 151: Haud scio an par principibus esse potuisset.

Fin. V 7: Aristoteles, quem excepto Platone haud scio an recte dixerim principem philosophorum.

Huic exemplorum numero addenda sunt : De or II 62 et 72, Tusc. III 55, Fam. IX 15,1, Off. III 105.

β.

post nescio an.

Fam. IX 18,3: Extremum illud est, quod tu nescio an primum putes.

II.

Deinde in aliis quoque enuntiatis, quae neque comparativis neque superlativis instructa sunt, *haud scio an* vel *nescio an* formulae ita exstant, ut sententiae affirmatio semper appareat.

a.

haud scio an.

Verr. III 162: Id quod tamesti isti difficile est, tamen haud scio an fieri possit.

Cael. 16: Quod haud scio an de ambitu et de criminibus istis sodalium ac sequestrium similiter respondendum putem.

Acad. II 126: Ne exaedificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo. Atque haud scio an ita sit.

Tusc. II 41: Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet : et haud scio an ita sit, ut nunc fit.

III 116: Haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit.

Rep. II 8: Id haud scio an liceat de cuncta Graecia dicere.

Nat. D. I 4: Perturbatio vitae sequitur et magna confusio; atque haud scio an fides etiam tollatur.

Off. I 33[1]: Est ulciscendi et puniendi modus, atque haud scio an satis sit eum paenitere.

---

[1]) cf. Beier: I Excurs. p. 355 ad Cic. off.

Off. I 132: Contentionis praecepta rhetorum sunt, nulla sermonis, quamquam haud scio an possint haec quoque esse.

Lael 43: Quod quidem, ut res coepit ire, haud scio an aliquando futurum sit.

De or. I 263: Haud scio an aliter sentias.

Att. XIV 1,1: Perisse omnia aiebat, quod haud scio an ita sit.

Praetera cf. Flacc. 63, Leg. I 18, Fam. IX 14,7, Q. fr. I 1,30, Att. XIV 17^{a}, 7. Har. resp. 14.

b.

nescio an.

Cluent 99: Non dico, hoc tempore, iudices, id quod nescio an dici oporteat.

Brut. 71: Nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat.

Att. IV 8^{b}, 5: Si id est, quod nescio an sit.

Fam. XIII 1,4: Quoniam illi non valde inimici sumus, nescio an ignoscendum sit huic.

His exemplis add. Att. I 12,1.

Ab omnibus autem his locis videntur discrepare et speciem praebere vere dubitativam primum haec duo enuntiata:

Har. resp. 22: Quod ni tu spectare voluisses, haud scio an vivere nobis iam liceret.

Fam. VI 7,3: Ac nescio an tibi gratius opportuniusque acciderit.

Atque secundum quidem enuntiatum exstat in epistula Caecinae, non Ciceronis. De quo sic iudicandum : aut interpretanda esse verba, artificiosius sane, eà ratione, quam praeeunte Lahmeiero secutus est Kuehner (II p. 1022), aut agnoscendum hic esse primum exemplum eius usus, quem apud posterioris aetatis scriptores inveniri certum est. Prior autem locus eo differt ab omnibus ceteris exemplis, quod in enuntiato interrogativo imperfectum sententiae irrealis quae dicitur positum videmus. Equidem potius hoc loco verbum *haud scio* maiore cum vi prolatum et cum *an* minus arte coniunctum esse dixerim quam locum illum, quae est opinio Kuehneri, a Cicerone abiudicandum[1]).

---

[1]) Orationem de harusp. resp. genuinam esse nunc inter omnes constare videtur cf. Teuffel: Litt. Geschichte I p. 310. 4. Aufl. Leipzig 1881, ed. L. Schwabe.

Accedunt pauci loci, ubi, si libros manu scriptos sequimur, pronomen *ullus* et adverbium *unquam* negativo sensu particulae *an* adiunguntur. Sed recte sine dubio viri docti vocabula negativa restituerunt.[1]) Loci autem hi sunt:

Or. 7: Quod in perpetuitate non saepe atque haud scio an unquam[2]) — in aliqua autem parte eluceat aliquando.

Senect. 56: Mea quidem sententia haud scio an ulla[3]) beatior esse possit.

Att. IV 3,2: Magna querela et gemitu non dicam bonorum qui nescio an ulli[4]) sint.

Contra tradita sunt bonis codicibus aut omnibus aut nonnullis vocabula negativa hisce locis:

De or. II 18: Omnium ineptiarum quae sunt innumerabiles, haud scio an nulla sit maior quam —.

Brut. 126: Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem.

Leg. I 56: Quapropter hoc diiudicari nescio an nunquam, sed hoc sermone certe non potest.

Acad. II 81: Quod haud scio an non possis.

136: Omnia, quae ubique essent, sapientis esse? neminem consulem, praetorem, imperatorem, nescio an ne quinquevirum quidem quemquam nisi sapientem?

Div. I 81: Haud scio an nec cardiacis hoc tribuendum sit nec phreneticis.

Off. III 6: Quod cum omnibus est faciendum, tum haud scio an nemini potius quam tibi.

Lael. 20: Qua (amicitia) haud scio an nihil melius sit datum[5]).

51: Haud sciam an ne opus sit quidem nihil unquam omnino deesse amicis.

Att. XIV 17[a], 7: Contigit tibi, quod haud scio an nemini.

---

[1]) cf. praeter alios Matthiae, Archiv für Phil. u. Päd. 1825 p. 26. Hand Tursell. p. 322 sq.

[2]) *nunquam* cod. Einsidlensis.

[3]) *nulla* Ernesti.

[4]) *nulli* Lambinus.

[5]) cf. Muelleri edit. Teubn. p. XXIII.

Fam. IX 9,2: Quod nescio an nulli unquam nostro acciderit imperatori.

Prioribus temporibus nonnulli viri docti propter codicum testimonia Ciceronem utraque dicendi ratione usum esse opinati sunt, ac satis mira de ea re protulerunt iudicia. Veluti ita scripsit Gernhard[1]): „Soll das Urteil verneinend werden, so mufs irgend eine Negation *non, nemo, nunquam* oder dergleichen nach *an* folgen, während *ullus, quisquam, unquam* die negative Bedeutung sich schon aus der in *nescio* oder *haud scio* enthaltenen Negation aneignen und soviel als *nullus, nemo* bedeuten". Aliter iudicavit Weifsenborn[2]), qui *ullus, unquam* his enuntiatis negativam sententiam omnino afferre non arbitrabatur: „Soll ein negativer Gedanke bescheiden ausgedrückt werden, so ist eine Negation notwendig; soll dagegen der Kreis von Gegenständen, von denen etwas ausgesagt wird, so weit als möglich beschränkt werden, so steht *nescio an quidquam*".

2.

An pertinet ad dubitandi verba.

a. *dubito.*

De formula quae est *dubito an* non est, cur fusius disseram. Exempla enim, quae in Ciceronis scriptis inveniuntur multa non sunt et facile eorum condicio constitui potest. Certa autem huius verbi forma, cui *an* adiungatur, non occurrit, omnibusque locis sententia profertur affirmativa[3]), quae modestiae quandam speciem praebet. Exempla autem haec sunt:

Verr. III 76: De accessione dubito an Appronio ipsi data sit merces.

Tusc. IV 50: De L. Bruto fortasse dubitarim an propter infinitum odium tyranni ecfrenatius in Arruntem invaserit.

Fam. IX 7,2: Nonnulli dubitant an per Sardiniam veniat.

Att. II 6,1: Qui dubitem an hic Antii considam.

X 8,2:[4]) Tamenne dubitemus an ei nos etiam cum periculo venditemus, quicum coniuncti ne cum praemio quidem voluimus esse?

---

[1]) Seebode l. c. 1824 p. 104.

[2]) cf. synt. § 216,1.

[3]) cf. Hand: Tursell. I p. 330.

[4]) Eadem consuetudine Cornelius Nepos utitur: cf. B. Lupus: Der Sprachgebrauch des Cornelius Nepos. Berlin 1876 p. 171.

Att. XII 27,3: Itaque id ipsum dubito an excusationem aliquam ad illum parem.

XVI 5,3: Itaque dubito an Venusiam tendam.

Neque deest exemplum, ubi in enuntiato secundario negatio exstat.

Off. III 50: Dubitet an turpe non sit.

Germanice enim vertendum est: Er ist geneigt zu glauben, daſs es nicht schimpflich sei.[1])

b. *ambigo.*

Tull. 13: An dolo malo factum sit, ambigitur.

Hoc quoque loco *an* ad affirmationem exprimendam adhibetur, neque omittendum videtur particulam ab eo, ad quod sese applicet, verbo seiungi, id quod nusquam alio loco apud Ciceronem accidit atque scriptorum aetatis posterioris proprium est.

c. *incertum est,*

quod ipsum quoque ad affirmationem inclinat:

Senect. 44: Moriendum certe est, et incertum an hoc ipso die.

Denique in fine huius capitis commemoranda est quaestio illa saepius tractata, num praeter ea quae attuli enuntiata apud Ciceronem exstent loci, ubi *an* ad simplicem interrogationem obliquam conformandam sit adhibitum. Atque Krueger quidem in scriptis Ciceronianis *an*, si hoc modo usurpari videretur, plane reiciendum putabat. Verba eius haec sunt[2]): „An steht auch in indirekten Fragen bei den Schriftstellern des goldenen Zeitalters nicht anders als in dem zweiten Gliede einer Doppelfrage. Vielmehr steht hier nur *num, ne, utrum* (in der Doppelfrage). Dahingegen findet sich in der späteren Latinität von Curtius an die Partikel *an* in dieser Verbindung häufig.“ Quam eandem sententiam altero[3]) quoque loco fere isdem verbis protulit: „Erst im silbernen Zeitalter fing man an, *an* in indirekter Frage in dem Sinne von *ne* oder *num* zu gebrauchen.“ Minus certe iudicare videtur Draeger, qui ita scribit[4]): „Cicero hat *an* auſser in den zur Bejahung hinneigenden Phrasen (*haud scio an*

[1]) cf. Hand: Tursell. I p. 330.
Heine ad Cic. de off. l. c.

[2]) gramm. lat. § 519. 2.

[3]) l. c. § 520, 4.

[4]) l. c. § 467 II.

etc.) in der einfachen indirekten Frage wohl noch nicht gesetzt.“ Et in plurimis libris de grammatica latina scriptis hunc particulae usum omitti videmus. Adversari autem videbantur legi illi verba quae exstant in secundae orationis Catilinariae paragrapho 12: „Quaesivi a Catilina, in nocturno conventu apud M. Laecam fuisset necne“, ubi pars codicum *an* post *Catilina* praebet. Sed recte recentiores editores eos codices secuti sunt, qui *an* omittunt. Cf. Reisigii verba[1]): Es ist offenbar, dafs hier *an* entstanden ist aus dem letzten Buchstaben des vorhergehenden und dem ersten des folgenden Wortes; es ist dort herauszuwerfen, denn in dem ersten Gliede braucht gar keine Fragepartikel zu stehn.“ Hand Tursell. I p. 309: „Non minus falsa erat eorum opinio, qui *an* pro *utrum* dictum putabant in formula *an* — *necne* afferebantque exemplum Ciceronis Cat. II 6,12: „quaesivi a Catilina, an nocturno conventu apud M. Laecam fuisset necne.“ cett.

Aliter comparatus est locus in
Verr. IV 27: Quaesivi, an misisset.

Ibi enim ex libris alia scriptura sumi non potest: quamquam memorabile est in optimis codicibus totum locum per neglegentiam esse omissum. Neque tamen credibile videtur Ciceronem ab eo quod constanter secutus est genere dicendi hoc solo loco discessisse. Comprobo igitur sententiam eorum, qui *an* eo loco ex corruptela ortum esse censent. Duobus autem locis qui sunt in or. Cluent. § 52 et in Top. § 82 *an,* quod in antiquioribus editionibus legitur, non codicum auctoritate nititur, sed ab hominibus doctis falso illatum est.

Caput II.

De interrogationum obliquarum singularibus quibusdam formis.

In hoc capite primum de interrogationibus inchoatis et imperfectis pauca disseram; tum de epexegesi dicam; denique prolepsis quemadmodum ad Ciceronis pertineat consuetudinem videamus. Has autem res ita tractare, ut in omnes interroga-

---

[1]) Vorlesung. über lat. Sprachwissenschaft § 278 (her. von Haase. Leipz. 1839.)

tiones obliquas diligentius inquireretur, necessarium mihi videbatur.

§ 5. In iis quae *haud scio an* vel *nescio an* formulis instructae sunt interrogationibus illud ipsum enuntiatum, quod voci *an* adiunctum est, saepius integrum non esse iam commemoravi. Ex ceteris quoque interrogationibus haud paucae eandem formam praebent, ac praecipue in Ciceronis epistulis magnum interrogationum inchoatarum [1]) numerum inveniri videmus. In quibus omissa sunt aut vocabula, quae exstant in eo, quod antecedit, enuntiato, aut copula vel aliud verbum finitum quod facile cogitatione additur. Atque eandem speciem disiunctivae quoque interrogationes nonnunquam habent. Saepius autem ea consuetudine Cicero ita utitur. ut primum breve antecedat enuntiatum primarium, quo interrogatio inchoata spectet atque pertineat, velut

Leg. agr. II 66: Iubet agros emi: primum quaero, quos agros et quibus in locis.

Cat. I 13: Exire ex urbe iubet consul hostem, interrogas me, num in exilium.

Breviloquentiae causa verbum finitum maxime in epistulis haud raro omittitur. Nunc omnia exempla ita afferam, ut ad certum ea digeram ordinem.

1.

Interrogationes inchoatae ad id, quod autecedit, enuntiatum referuntur.

a.

Interrogationes simplices.

Sex. Rosc. 56: Sin autem sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse neque dicere possitis aut quare aut quomodo.

Leg. agr. II. 66: Iubet agros emi: primum quaero, quos agros aut quibus in locis.

Cat. I 13: Exire ex urbe iubet consul hostem; interrogas me, num in exilium.

[1]) cf. Kuehner: gramm. § 241. Draeger: synt. § 115—118.

Cat. III 24: Ultus est huius victoriae crudelitatem postea Sulla; ne dici quidem opus est, quanta deminutione civium et quanta calamitate reipublicae.

Flacc. 6: A testibus laeditur. Antequam dico, a quibus, qua spe, qua vi, qua re concitatis, qua levitate, qua egestate, qua perfidia, qua audacia praeditis, dicam de genere. —

Har. resp. 14: Multae sunt domus in hac urbe atque haud scio an paene cunctae iure optimo.

Sest. 23: Eos laudabat maxime, qui dicuntur praeter ceteros esse auctores et laudatores voluptatis: cuius et quo tempore et quomodo, non quaerebat.

Phil. I 9: Atque ego celeriter Veliam devectus Brutum vidi: quanto meo dolore, non dico.

De or. II 62: Videtisne, quantum munus sit oratoris historia? haud scio an flumine orationis et varietate maximum.

72: In causarum contentionibus magnum est quoddam opus atque haud scio an de humanis operibus longe maximum.

Brut. 297: Hi fuerunt certe oratores; quanti autem et quales tu videris.

Or. 159: Consule veritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. Quaere, cur.

Fin. II 97: Philosophi in suis lectulis plerumque moriuntur. Refert tamen, quomodo.

Tusc. II 43: Utendum est igitur his. Quaeres fortasse, quomodo.

III 55: Genus id non valet et id haud sciam an plurimum.

Div. I 15: Inest in ranunculis vis et natura quaedam; non quaero, cur, quoniam quid eveniat intellego.

118: Profecto hominibus a dis futura significari necesse est. Sed distinguendum videtur, quonam modo.

Rep. III 18: Quaero, si iusti hominis et si boni est viri parere legibus, quibus!

Leg. I 18: Doctissimis viris proficisci placuit a lege; haud scio an recte.

Off. III 6: Quod cum omnibus est faciendum tum haud scio an nemini potius quam tibi.

Sen. 74: Moriendum certe est et incertum an hoc ipso die.

Fam. III 7,4: Cum iste ante lucem Iconium mihi venturum nuntiasset incertumque, utra via.

VIII, 7,2 (Caelius): Nisi bis triduo deprehensus esset. Quaeres, ubi.

8,1 (Caelius): Scito Sempronium calumniam tulisse Quaeris, qua in causa!

IX 14,7: Contigit tibi, quod haud scio an nemini.

15,1: Est id quidem magnum atque haud scio an maximum.

18,3: Disce a me προλεγομένας —, sed quomodo, videro.

XI 10,5 (D. Brut.) Septem numerum nunc legionum alo; qua difficultate, tu arbitrare.

Q. fr. I 1,30: Si in promerendo, ut tibi, tanti honores haberentur quanti haud scio an nemini.

Att. I 12,1: Tito mandavi: σκήψεις atque ἀναβολαί; sed nescio an ταὐτόματον ἡμῶν.

II 19,2: Bibulus in caelo est, nec quare, scio

III 8,3: Puto me ita esse facturum, sed ubi, nondum statui.

IV 2,7: Domus aedificatur; scis, quo sumptu

11,1: Se venturos, ut rationes cum publicanis putarent; quaesivi, gladiatoribusne.

VI 2,7: Multum profeci, sed quantum, non scio.

2,8: Haec puto me Bruto probaturum; tibine, nescio.

VII 11,4: Mira hominum querela est; nescio, isticine.

IX 15,3: Nunc exire cupimus; qua spe reditus mihi in mentem non venit.

X 6,3: Pompeium pro certo habemus proficisci in Galliam. Ego nunc qua et quo, videbo.

XI 24,4: Nihil mea minus interesse puto, quam quid illinc afferatur: id quam ob rem, te intellegere certe scio.

XII 28,3: Publius navigaturus videtur, mihi autem dixerat per Siciliam: utrum et quando, velim scire.

40,2: Legere isti laeti tam multa non possunt quam ego scripsi; quam bene, nihil ad rem.

XIII 13,2: Volo Dolabellae valde desideranti: non reperio, quid, et simul αἰδέομαι Τρῶας.

2,5 et 26,2: Dati igitur sunt nec tibi integrum est; hui si scias, quanto periculo tuo!

Att. XIII 45,1: Dies feriarum mihi additos video, sed quam multos, fac sciam.

XIV 11,1: Ruina rem non fecit deteriorem, haud scio an etiam fructuosiorem.

17a,7: Contigit tibi, quod haud scio an nemini.

b.

Interrogationes disiunctivae.

Sex. Rosc. 74: Si per alios fecisse dicis, quaero, servosne an liberos.

Pis. 68: Audistis dici, philosophos Epicureos omnes res voluptate metiri; rectene an secus, nihil ad nos.

De or. III 66: Alia et bona et mala videntur Stoicis et ceteris civibus: vere an secus, nihil ad hoc tempus.

Fin. III 44: Nobis aliter videtur, recte secusne, postea.

Acad. II 135: Ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant; recte secusne, alias viderimus.

Nat. D. I 66: Haec ego nunc physicorum oracula fundo, vera an falsa, nescio.

Fam. VII 25,2: Loquitur isto modo nemo; bene malene, videro.

Att. IV 15,7: Pompeius fremit, Scauro studet, sed utrum fronte an mente, dubitatur.

VIII 14,3: Ait enim Lepidus eum nescio quo penetrasse itineribus: occultandi sui causa an maris adipiscendi, ne is quidem scit.

XI 23,3: Petet fortasse tertiam pensionem; considera igitur, tumne an prius.

XII 14,2: Scire velim, quomodo dicar spopondisse et pro patre anne pro filio.

XV 20,3: Properemus, sed tu iuva me consilio, Brundisione an Puteolis.

Accedunt ea enuntiata, in quibus interrogationis disiunctivae verbum audiendum est ex antecedenti interrogatione obliqua simplici, quae interrogatione disiunctiva explicatur: cf. Sex. Rosc. 88, Mil. 31, Tull. 55, Verr. II 188, Cluent. 81, Invent. I 12, De Or. III 211, Fam. IX 4, Q. fr. III 8,2.

2.

Interrogationes imperfectae ita comparatae, ut aut copula

omittatur aut aliud verbum finitum, quod non ex verbis antecedentibus, sed ex ipsa sententia facile possit audiri.

a.

Interrogationes simplices.

Cluent. 52: Si quaesieram, quae inimicitiae Scamandro cum Habito, fatebantur nullas fuisse.
Off. I 152: Comparatio, de duobus honestis utrum honestius.
Div. II 141: Quaero, cur Alexandro tam inlustre somnium, tam certum.
Acad. I 2: Percontantibus nobis, ecquid novi.
II 92: Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus, quatenus.
Senect. 73: Volt, credo, se esse carum suis, et haud scio an melius Ennius.
Lael. 73: Videtis, quam nefaria vox.
Att. II 5,2: De istis rebus exspecto tuas litteras —, num quae novae leges et num quid novi omnino.
8,1: Ecce tibi nuntius, pueros venisse Roma. Voco, quaero, ecquid litterarum.
IV 8b, 2: Nam de ipso casu, nescio, an illud melius.
V 3,1: Qui de republica rumores, scribe, quaeso.
IX 17,2: Tu, quaeso, cogita, quid deinde.
X 10,1: Vide, quam ad haec παροινικῶς.
XI 21,1: Ad ea, quae scribis de testamento, videbis, quid et quomodo.
XII 41,1: Quod tu scire volebas, ego quomodo ex hoc loco, postridie Idus Lanuvii constitui manere.
51,2: Hoc velim scire, quomodo auctio.
XIII 18: Exspecto, quid ad ea, quae scripsi ad te.
20,4: Viden, quam φιλοσόφως?
29,2: Noli quaerere, quanti.
31,4: Quanti autem, hoc mihi venit in mentem.
XIV 5,3: Velim scire, qui adventus Octavii.
10,3: Quod quaeris, iamne ad centena Cluvianum.
XV 19,2: Scit, quae ille de hoc mecum quidem ἄφατα olim.
25: Velim scire, quo die piaculum.
XVI 2,2: Amabo te, mi Attice, — videsne, quam blande.
9: Non confido aetati; ignoro, quo animo.

b.

Interrogationes disiunctivae.

Cluent. 26: Utrum impudentior hic an crudelior illa, difficile dictu est.

Invent. I 35: Praeterea commoda et incommoda considerantur ab natura data animo aut corpori hoc modo : valens an imbecillus, longus an brevis, formosus an deformis, velox an tardus.

Part. or. 36: In locis et illa naturalia spectantur : maritimi an remoti a mari, plani an montuosi, breves an asperi, salubres an pestilentes, opaci an aprici.

Att. X 4,12: Me consilio iuva, pedibusne Regium an hinc statim in navem.

XIII 51: Quintus cras, sed ad me an ad te, nescio.

XVI 6,1: Sed putabam fore ut illic cogitaremus, corbitane Patras an actuariolis ad Leucopetram — et si oneraria, statimne freto an Syracusis.

Verbum finitum audiendum est ex sequentibus hoc loco:

Fin. V 87: Democritus, qui — vere falsone non quaeremus — dicitur se oculis privasse[1]).

§ 6. Sequitur ut de epexegesi interrogationum obliquarum disputem. Quae quidem res haud magnam praebet difficultatem. Epexegesis natura haec est, ut interrogatione obliqua aliquod vocabulum, quod antecedit, accuratius designetur atque explicetur. Plerumque igitur interrogatio ad pronomina neutralia *hoc*, *illud*, *id*, quae quasi per pleonasmum ad enuntiati primarii verbum sese applicant, refertur, et ita quidem, ut inter id enuntiatum, in quo exstat pronomen, et interrogationem aliud enuntiatum interpositum non sit; raro res aliter se habet, velut:

Planc. 71: De te tantum requiro, utrum putes an —.

Invent. I 43: In hac eae res quaeruntur, quae gestum negotium consequuntur : natura eius evenire vulgo soleat an insolenter et raro.

Fin. IV 12: Cum quaereretur res admodum difficilis, num quinta quaedam natura videretur esse.

---

[1]) Cf. etiam enuntiata p. 28 proposita.

Nat. D. III 65: Videamus ea, quae sequuntur, primum deorumne providentia mundus regatur.

Tim. 5: De quo id primum consideremus, quod principio est in omni quaestione considerandum, semperne fuerit nullo generatus ortu an ortus sit ab —.

Fam. IX 16,5: Cetera vero, quid quisque me dixisse dicat aut quomodo ille accipiat aut qua fide mecum vivant, praestare non possum.

Att. II 5,2: De istis rebus exspecto tuas litteras: qui consules parentur, utrum Pompeius an cum Gabinio Sulpicius.

Epexegesis natura fert, ut interrogatio, quae munere explicandi explanandique fungatur, illud, ad quod pertineat, vocabulum sequatur. Ceterum non desunt loci, in quibus primum interrogatio, deinde pronomen exstet, ita ut illo ipso pronomine interrogationis sententia comprehendatur: velut in

Div. I 86: Fiat necne fiat, id nunc quaeritur.

Fat. 9: Fatemur, acuti hebetesne, valentes imbecilline simus, non esse id in nobis.

Caec. 49: Deiectus quemadmodum sit, id quaeritur.

83: De quo fundo actum sit, id quaerendum esse dicis.

Verr. II 167: An hoc dicere audebis, quo modo existiment, ad rem id non pertinere?

Mil. 57: Manu vero cur miserit, si id quaeris —.

Epexegesis autem exempla praeter ea quae attuli haec sunt:

a.

Interrogationes simplices.

Verr. III 165: Hoc ex te quaero, fueritne tibi quaestui.

Flacc. 80: Illud quaero, sintne ista praedia censui censendo.

Sull. 39: Ego non hoc quaerendum arbitror, num purgetur aliqui, sed num —.

Vatin. 19: Quaero illud ex te, condtusne sis.

33: Quaero illud a te, postulatusne sis.

41: Hoc quaero, num putes.

Mil. 31: Illud in iudicium venit, non occisusne sit, sed —.

Invent. I 87: Haec erunt consideranda, num aliud conficiatur, aliud dicatur.

II 119: Illud attendere oportebit, num res utilior videatur.

Invent. II 175: In commoditatis ratione modo illud attendatur, dignane causa videatur.
De or. I 102: Hoc ex te quaerimus, existimesne artem aliquam esse dicendi.
III 113: Ecquid in re sit, quaeritur, ut illud : sitne in humano genere sapientia.
Brut. 285: Illud quaero, Demetrius Atticene dixerit.
Fin. V 87: Quare hoc videndum est, possitne nobis hoc ratio philosophorum —.
Tusc. V 33: Non id quaerendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit.
Nat.D.III 17: Non id quaeritur, sintne aliqui.
Div. II 97: Ego haec requiro : omnesne uno astro fuerint.
Off. I 159: Illud forsitan quaerendum sit, num haec communitas sit semper anteponenda.
III 39: Si id futurum sit semper ignotum, sisne facturus.
40: Non cum hoc deliberetur, relinquendane sit honestas, sed —.
91: Cum id rescierit, soluturusne sit eos.
Att. XII 27,3: Itaque id ipsum dubito, an excusationem parem.
XIII 14,2: Illud consideres velim, placeatne tibi mitti ad Verrem.

b.

Interrogationes disiunctivae.

Tull. 38: Hoc quaero, venerit ea res in hoc iudicium necne.
42: Id quaeri, utrum haec tam acerba facta essent necne.
Cluent 123: Illud statuamus, utrum ita sit, an illi subscripserint.
124: Hoc quaeramus, verum sit an falsum.
Cael. 52: Quo in crimine illud requiram, dixeritne Clodiae an — non dixerit —.
Phil. XIII 2: Hoc primum videndum est, cum omnibusne pax esse possit an —.
Invent. I 1: Saepe hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit copia dicendi.
De or. III 117: Quaeritur, ut illud : optimine cuiusque sapientes an populari laude ducantur.

Rep. I 50: Ut hoc populorum intersit, utrum comi domino an aspero serviant.
Div. II 142: Hoc ipsum, pleni enectine simus, intellegi posse dicunt.
Leg. I 3: Haec iam quaero ex ipso poeta, tuine versus hanc quercum severint an ita factum de Mario acceperis.
Off. I 161: Intellegi potest non solum id homines solere dubitare, honestumne an turpe sit.
Lael. 26: Illud considerandum videri solet, utrum desiderata sit amicitia an esset —.
Fam. II 5,2: Unum illud nescio, gratulerne tibi an timeam —.
VIII 8,9 (Caelius): Dixit hoc nihil interesse, utrum — an.
X 26,2: Scilicet id agitur, utrum hac petitione an proxima praetor fias.
Att. XIII 18: Haec mihi explices velim, maneasne an putes —.

Vides, pluralem *haec* quattuor locis inveniri (Invent. I 87. Div. II 97. Leg. I 3. Att. XIII 18), *ea* semel (Nat. D. III 65 ubi enuntiatum relativum interpositum est), *illa* nusquam.

§ 7. Iam ut ad prolepsin[1]) me convertam, primum subiectum interrogationis obliquae quibus condicionibus a Cicerone in enuntiatum primarium translatum sit, demonstrabo, deinde videamus, num quos alios casus hac ratione positos esse inveniamus et quemadmodum. A grammaticis autem huic toti quaestioni satisfactum non est, quia breviter ac summatim rem exposuerunt. Draeger[1]) enim hunc prolepsis usum ad optimos scriptores minus quam ad veteres referendum esse dicit et O. L. F. Hoppium[2]) in eas, quae coniugationis periphrasticae coniunctivum reciperent, interrogationes obliquas inquisivisse iam supra diximus, ita ut eae, quas tradidit, leges ne in hac quidem re viderentur absolutae atque in tali rerum circumscriptione in diversas traherentur partes. Qua in re tractanda plurimum Weissenborn versabatur, cum diceret[3]): „Bisweilen beherrscht die im Hauptsatze genannte Thätigkeit noch das Object, den Gegenstand, dessen Beschaffenheit im Nebensatze beschrieben

---

[1]) cf. Kuehner; gramm. lat. § 243; Draeger: synt. lat. § 470.
[2]) cf. Prgr. Gymn. Gumbinn. 1879.
[3]) cf. synt. lat. § 215, 3.

wird, welcher eigentlich Subjekt des letzteren sein sollte. Umgekehrt schliefst sich bisweilen auch das Hauptverbum an das Subjekt im Nebensatze, wo dann auch ein sonst imperson. Verbum persönlich gebraucht werden kann."

Atque posteaquam grammatici quid sentirent, demonstravimus, exemplis ex Ciceronis scriptis allatis, prolepsis usus quatenus valeat, videamus.

A.

I.

Prolepsin proprio huius significationis sensu exstare in iis periodis dicimus, in quibus interrogationis obliquae subiectum anticipatur et ad enuntiati primarii verbum refertur. Obiectum igitur enuntiati primarii et interrogationis obliquae subiectum inter sese consentiunt. Neque vero haec prolepsis forma a Cicerone saepe usurpata est; exempla haec sunt:

Tull. 13: Nunc rem ipsam, ut gesta sit, dum breviter vobis demonstro, attendite.

Deiot. 30: Quis tuum patrem antea, quis esset, audivisset?

Invent. II 170: Atque ut apertius hoc sit, exemplis licet vim rei, qualis et quanta sit, cognoscamus.

Tusc. I 56: Sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, omnem denique membrorum et totius corporis figuram videor posse dicere, unde concreta et quomodo facta sint.

Fam. IV 1,2: Rem vides, quomodo se habeat.

VIII 10,3: Nosti Marcellum, quam tardus sit.

XV 16,3: Tento te, quo animo accipias.

Att. X 9 A 1: Postquam sententiam, qualis futura esset, cognoverim.

Huc quodam modo referri posse puto etiam

Verr. V 71: Habebant rationem omnes cotidie piratarum, qui securi ferirentur,

nam structura genetivi pendentis a verbis *habere rationem* similis est.

Haec igitur sunt sola huius prolepsis exempla, quae afferre possum. Quod cum ita sit, in constituendo hoc prolepsis usu magna cautione opus esse apparet. Multo latius Ciceronis con-

suetudinem patere videmus, ut subiectum interrogationis obliquae graviter primo loco collocet ac tum demum pronomina vel particulas interrogativas. Saepius autem sententiae si vim quandam ac pondus accedere voluit, verbum, a quo interrogatio obliqua pendet, in eam inserit. Itaque saepissime prolepsis exstare videtur, quae quidem si ad grammaticam illam refertur rationem nulla est. Hunc quoque usum exemplis liceat illustrare.

a.

Subiectum in initio interrogationis ita positum est, ut vox interrogativa statim sequatur.

Quinct. 10: Dabo operam, ut a principio, res quemadmodum gesta et contracta sit, cognoscatis.

Sex. Rosc. 14: Ab initio, res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus.

76: Illud quaero, is homo per quos homines hoc tantum facinus perfecerit.

Verr. III 75: Videamus, Herbitensis civitas quemadmodum spoliata sit.

Sest. 131: Reditus meus qui fuerit, quis ignorat?

De or. I 10: Quis ignorat, ii qui mathematici vocantur quanta in obscuritate rerum versantur.

Fin. I 37: Nunc explicabo, voluptas ipsa quae qualisque sit.

II 10: Ista varietas quae sit, non intellego.

Acad. II 136: Atrocitas tua quomodo in veterem academiam inruperit, nescio.

Tusc. I 141: Membrorum situs et figura corporis vacans animo quam possit harmoniam efficere, non video.

II 27: Videsne, poetae quid mali adferant?

III 56: Ipsius rei natura quanta sit, quaerimus.

IV 68: Haec laetitia quam turpis sit, satis est diligenter attendentem penitus videre.

Nat. D. I 104: Quaero, vester deus ubi habitet.

II 2: Aveo audire, tu ipse quid sentias.

III 6: Fac ego intellegam, tu quid sentias.

Senect. 34: Audire te arbitror, hospes tuus quae faciat.

66: Avaritia senilis quid sibi velit, non intellego.

Lael. 80: Nec ipsi sibi exemplo sunt, haec vis amicitiae et qualis et quanta sit.

Fam. IV 11,1: Res quemadmodum sit acta, litterae mihi declarant.

X 15,3 [Plancus]: Adventus meus quid profecturus esset, vidi.

16,1: Ea sententia quae fuerit, ex senatus consulto cognosces.

XIII 6a, 5: Harum litterarum vis quanta fuerit, propediem iudicabo.

XIV 1,2: Res quanta sit, intellego.

14,2: In ea re, Pompeius quid velit, non despicio.

Att. I 14,1: Prima contio qualis fuisset, scripsi.

17,3: Huius incommodi culpa ubi resideat, facilius possum existimare.

II 4,2: Iste sacerdos Bonae Deae cuius modi futurus sit, sciemus.

16,2: Gnaeus noster quid cogitet, nescio.

III 24,2: Haec res quemadmodum ceciderit et tota res quo loco sit, velim scribas.

IV 2,1: Tibi declaravi, adventus noster qualis fuisset.

18,1: Quaeris, ego me ut gesserim.

VII 2,7: Hortensius quid egerit, aveo scire.

7,3: Tua λῆψις quem in diem incurrat, nescio.

10: Gnaeus noster quid consilii ceperit, nescio.

VIII 2,3: Ignorare mihi videris, haec quanta sit clades.

11,6: Mea quae semper fuerit sententia, meminisse te arbitror.

15,1: Ignoras, Domitius cum fascibusne sit.

IX 1,4: Tu quid cogites, scire sane velim.

3,4: Tota res Brundisina quomodo habeat sese, diutius nescire non possum.

10,4: Videamus, et Gnaeus quid agat et illius rationes quorsum fluant.

X 4,6: Hoc eius iter simulatioque pietatis qualis fuerit, non audeo dicere.

XII 23,3: Scio, ego ipse quid existimem.

32,1: Res quam molesta sit, vides.

41,1: Quod scire volebas, ego quomodo ex hoc loco.

42,2: Illud alterum quam sit difficile, te non fugit.

Att. XII 49,2: Horti quam in diem proscripti sint, velim ad me scribas.
XIII 8: Qui quaerat, Q. Staberii fundus num quis venalis sit.
17: Attica nostra quid agat, scire cupio.
18: Vides, propinquitas quid habeat.
XIV 1,2: Magni refert, hic quid velit.
4,1: Vereor, ipse Sextus quo evadat.
8,1: Clodia quid egerit, scribas velim.
10,4: Ille quid agat, si scis.
XV 2,4: Causa quae sit, ignoro.
6,1: Ille quid mihi rescripsisset, scire te volui.
19,1: Theophanes quid velit, nescio.
26,5: Mundus iste cum M. Ennio quid egerit, facias me velim certiorem.
Brut. I 7,1: L. Bibulus quam carus mihi esse debeat, nemo melius iudicare potest quam tu.

Itaque eadem ratione hi quoque loci, qui utrum veram prolepsin contineant necne dubium esse potest, explicandi sunt:

Sex Rosc. 83: Iam intelleges, certum crimen quam multis suspicionibus coarguatur.
Verr. I 61: Alio loco hoc cuiusmodi sit, considerabimus.
86: Hoc quam nihil sit, cognosce.
III 157: Videsne, hoc quam clarum sit?
200: Haec quam sint gravia, credo vos assequi posse.
IV 89: Illud quid sit, non queo dicere.
Imp. Cn. P. 34: Haec qua celeritate gesta sint, quamquam videtis —.
Cluent. 156: Illud quam sit iniquum, cogitemus.
Cat. II 17: Id quare fieri non possit, intellego.
Flacc. 10: Hoc quibus verbis a Graecis dici soleat, sciant.
Har. resp. 36: Hoc quid sit per se ipsum facile interpretor.
Rab Post. 30: Non intellego, hoc quale sit.
Mil. 77: Non queo, vetera illa populi Romani gaudia quanta fuerint, iudicare.
Invent I 2: Non ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat.
De or. II 17: Tempus quid postulet, non videt.
177: Oportet — id quare ita sit, ostendere.

De or. II 231: Quid igitur? inquit, patiemur Caesarem non explicare nobis, totum genus hoc iocandi quale sit et unde dicatur?
240: Cum quaereres, id quid esset.
241: Id ubi esset, videbat.
Top. 30: Partitionum genus quale esset, ostendimus.
Brut. 275: Id ubi esset, videbat.
Opt. gen. 7: Id quale sit, quaerimus.
Fin. I 34: Id ne ferae quidem faciunt, ut, earum motus et impetus quo pertineant, non intellegamus.
II 6: — Ut — id extremum quid et quale sit, nesciat.
86: Id primum videamus, beate vivere vestrum quale sit.
Div. I 32: Id possetne fieri, consuluit.
II 71: — Qui, silentium quid sit, intellegat.
Leg. I 37: Iter huius sermonis quod sit, vides.
Fam. II 5,1: Haec negotia quomodo sese habeant, ne epistula quidem narrare audeo.
18,3: Tempora qualia futura sint, quis scit?
V 5,3: Ea quae sint, poteris cognoscere.
21,3: Id ipsum quid intersit, non sane intellego.
VIII 4,3: (Caelius): Mea comitia quem eventum sint habitura, nescio.
IX 18,2: Id cuiusmodi sit, nescio.
XI 33 (Brutus): Illud quemadmodum ferendum sit, tute cogita.
XIII 8,2: Hoc quale sit, tu considerabis.
29,2: Exspectare te arbitror, haec tam longe repetita quo spectent.
XV 19,4: Scis, Cn. quam sit fatuus.
Q. fr. I 3,5: Ista qualia sint, tu perspicias.
Att. II 7,4: Illud quid sit, scire cupio.
20,5: Haec quo sint eruptura, timeo.
III 8,2: Reliqua quam mihi timenda sint, video.
20,2: Id quantum sit praesidium, video.
IV 11,1: Illud cuiusmodi sit, velim perspicias.
: Id cuiusmodi sit, ad me mittas velim.
VI 1,19: Ea quae sint, nescio.
VII 13a,1: Genus belli quod sit, vides.

Att. IX 3,1: Id cuiusmodi sit, scire velim.
18,4: Videamus, hoc quorsum evadat.
X 9 A,1 (Caelius): Id quid esset, perscripsisti.
XI 13,4: Id quemadmodum fiat, tu videbis.
17,3: Id quale sit, velim ad me scribas.
24,4: Id quamobrem, te intellegere certe scio.
XII 32,2: Velim videas, conductores qui sint.
XIV 19,6: Antequam ista quo evasura sint, video.
XV 2,2: Id quale fuerit, nescio.
6,4: Hoc qualecunque esset, te scire volui.
XVI 15,2: Hoc quale sit, consideres velim.
15,4: Quoad audiamus, haec quorsus evadant.
Brut. II 1,1: Non ignoras, idem illud utrum ante an post decernatur.
(1,3: Acta quae sint, scio.)
Fr. E. III 11: Extrema nec quanta nec qualia sint, verbis consequi possum.
VIII 2: His contraria ut esse soleat, expertus sum.[1])

b.

Verbum, a quo interrogatio obliqua pendet, in hanc ipsam insertum est.

Q. Rosc. 2: Ego copia et facultate causae confisus, vide, quo progrediar.
Muren. 21: Ista nostra assiduitas, Servi, nescis, quantum interdum adferat hominibus fastidii.
Fin. III 11: Egone, quaeris, inquit, quid sentiam?
Rep. IV 21: Hic alter subiectus aquiloni, quem incolitis, cerne, quam tenui vos parte contingat.
Leg. I 41: Is, qui nihil alterius causa faciet et metietur suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus.
Fam. VIII 1,1 (Caelius): Tametsi tu scio quam sis curiosus.
XII 29,1: Causa tanti amoris, intellegis, quae verba desideret.
Att. VII 14,3: Tu ipse cum Sexto, scire velim, quid cogites.
XV 1ᵇ, 2: Ὑπόθεσις vides quae sit.

---

[1]) Loci, quibus subiectum cum alio casu coniunctum est, v. infra.

Atque ita hi quoque loci comparati sunt, ut similiter explicari possint neque de vera prolepsi sit cogitandum:

Top. 26: Definitio est oratio, quae id, quod definitur, explicat, quid sit. [1]

Fin. II 4: Quaerimus finem bonorum: possumusne hoc scire quale sit, nisi —?

Brut. 328: Ista, quae dicis, video qualia sint.

Div. II 20: Ut ne illud quidem sciam quale sit.

Fin. II 94: Quod magnum dolorem brevem esse dicitis, id non intellego quale sit.

Nat. D. I 43: Ea, qui consideret, quam inconsulte ac temere dicantur.

71: Hoc intellegerem quale esset.

77: Primum quidque considera quale sit.

Fam. I 7,9: Haec profecto vides quanto expressiora quantoque illustriora sint.

II 5,2: Haec ipsa nescio rectene sint litteris commissa.

IX 20,2: Ὀψιμαθεῖς homines scis quam insolentes sint.

XIV 13: Totum iudicabis quale sit.

Att. I 16,3: Iudicium, si quaeris, quale fuerit.

VII 3,3: Id coram considerabimus quale sit.

11,5: Haec tu mihi explica qualia sint.

XI 5,2: Hoc ipsum sicut alia considerabo quemadmodum commodissime fieri posse videatur.

XV 19,2: Hoc ego quid sit interpretari non possum.

(ubi non verbum sed subiectum enuntiati regentis interpositum est).

II.

Ac de hoc prolepsis genere hactenus; videamus nunc de altero, quod usitatius videtur fuisse. Neque enim solum subiectum interrogationis obliquae ut obiecti munere fungatur in enuntiatum transfertur primarium, verum etiam subiectum cum *de* praepositione coniunctum ad verbum, unde interrogatio obliqua pendet, referri videmus. Exemplorum autem huius generis maior invenitur numerus, neque, ut ait Hoppe (l. c.), a Ciceronis consuetudine ea abhorrent:

---

[1]) Hic locus et is qui est Nat. D. I 43 propterea differunt a ceteris, quia in iis tertia exstat verbi finiti persona.

Sull. 68: De quo si quis dubitasset antea, num id cogitasset.
Phil. XI 1: De altero patefactum est, quid cogitaret.
Brut. 20: Quod mihi in Tusculano inchoasti de oratoribus, quando esse coepissent, qui etiam et quales fuissent.
Fin. IV 12: — in quo etiam de animis, cuius generis essent, quaereretur.
14: Videamus de summo bono, quid attulerit.
Tusc. IV 50: De L. Bruto fortasse dubitarim an propter infinitum odium tyranni ecfrenatius in Arruntem invaserit.
V 35: Tu ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit.
Nat. D. II 88: Hi dubitant de mundo, casune ipse sit effectus an ratione.
Fam. XI 9,1 (Brut.): De Pollione Asinio puto te perspicere, quid facturus sit.
Att. III 14,1: Plenus sum exspectatione de Pompeio, quidnam de nobis velit aut ostendat.
IV 8 A,1: In oppido est quiddam, de quo est dubium, sitne venale.
V 21,2: C. Cassius prudentiores illas litteras miserat, de quibus tu ex me requiris, quid sibi voluerint.
XII 44,3: Volo de naufragio Caminiano scire, quid sit.
52,2: Nescio quid videris dubitare de Clodia, utrum veniat an —.

Huc addendum est, uno loco simili ratione subiectum interrogationis cum *in* praepositione coniunctum anticipatum esse:
Muren. 36: Si in hac comitiorum tempestate populari saepe intellegas, quo signo commota sit.

III.

Restat, ut de tertio prolepsis genere disseram, quod haud scio an prolepsin dicere non liceat. Eius enim natura cum haec sit, ut subiectum anticipetur, talia non desunt exempla, in quibus constructione passiva adhibita verbum, a quo interrogatio obliqua pendeat, ita ad interrogationis subiectum referatur, ut eodem atque hoc utatur et numero et genere. Rectius fortasse hanc verborum compositionem vel assimilationem vel attractionem

nominare possumus, praesertim cum illud quod quasi attrahitur verbum non ubique interrogationem antecedat. Neque praetereundum videtur hoc dicendi genus a Cicerone saepius quam prolepsin usurpatum esse. Exempla autem haec sunt:

Leg. agr. I 5: Superiore parte legis quemadmodum Pompeium oppugnarent, a me indicati sunt.

Invent. II 30: Quae res harum aliquam rem consequantur, faciles cognitu sunt.

177: Contraria quae et qualia sint, intellegentur.

De or. II 243: Ita effinguntur (mores), ut, quales sint, intellegantur.

Or. 68: Seiunctus orator a philosophorum eloquentia; explicandus est nobis, qualis futurus sit.

Fin. V 85: Ut plane qualia sint, intellegantur.

Nat. D. II 71: Poterunt intellegi, qui qualesque sint.

115: Intellegi, qualia sint, non possunt.

153: Defectiones solis et lunae cognitae, quae, quantae, quando futurae sint.

Leg. I 4: Multa quaeruntur in Mario, fictane an vera sint.

Lael. 56: Constituendi sunt, qui sint in amicitia fines et quasi termini diligendi.

63: Quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves.

Parad. 24: Nuda ista si ponas, iudicari, qualia sint, non facile possint.

Att. VII 17,4: Haec intellegentur, quorsum evasura sint.

VIII 12,4: Haec, qualia tibi esse videantur, etsi significata sunt a te —.

Quae exempla qua ratione comparata sint, e verborum et numero et genere dilucide apparet, ita ut vix difficultatem ullam praebeant. Inveniuntur autem ea quoque, quae utrum huc pertineant necne, accurate diiudicare non possimus, quia verborum numerus ille quidem ad interrogationis subiectum relatus videtur, sed genus perspici non potest utrum transitivum an neutrum sit. Sed in plerisque horum locorum scriptor quin impersonalem structuram adhibere voluerit, vix dubium esse existimo.

Verr. II 13: Ea ipsa virtus qua ratione isti amica sit, dicetur.

Verr. IV 127: Haec Sappho sublata quantum desiderium sui reliquerit, dici vix potest.
Cael. 61: Venenum unde fuerit, non dicitur.
Invent. I 9: Inventio qualis debeat esse, consideretur.
II 65: Ius ex quibus rebus constet, est considerandum.
154: Navis ipsa quid sit, definitionibus quaeritur.
De or. II 106: Saepe res non sit, necne, sed qualis sit, quaeritur.
III 85: Vis et natura rei nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis et quanta sit, intellegi non potest.
Brut. 25: Quinque artium concursus maximarum quantam vim habeat, existimari potest.
Or. 168: Genus illud tertium explicetur quale sit.
208: Si numerus orationis quaeritur qui sit.
Top. 36: Cum quaeritur, postliminium quid sit.
Fin. IV 29: Id ne cogitari quidem potest quale sit.
Acad. II 25: Si id quod videtur non percipitur accommodatumne naturae sit an alienum.
37: Nihil agens (animal) ne cogitari quidem potest quale sit.
Tusc. IV 74: Si adfecto haec adhibenda curatio est, ut et illud, quod cupiat, ostendatur quam leve sit.
Nat. D. I 30: Id quale esse possit, intellegi non potest.
II 147: Ex quo scientia intellegitur quam vim habeat.
Rep. II 6: Maritimus ille et navalis hostis — denique ne nota quidem ulla, pacatus an hostis sit, discerni ac diiudicari potest.
Att. VII 12,2: Inde utrum consistere velit an mare transire, nescitur.

B.

Quibus rebus expositis satis docuisse videor, prolepsis qua ratione ad interrogationum obliquarum subiectum pertineat; nunc accedamus ad casus obliquos.

I.

Ac primum quidem ex interrogationibus obliquis accusativum a Cicerone nonnunquam ad verba, quibus illae adiunctae sunt, relatum videmus esse. Ac tribus quidem locis, ubi accusativus in enuntiato interrogativo aut obiectum est aut subiec-

tum infinitivi, notio eius in enuntiato primario substantivo cum *de* praepositione coniuncto significatur, in enuntiato interrogativo aut pronomine *is* exprimitur aut omittitur. Aliter comparatus est quartus qui huc pertinet locus. Exstant autem hi quattuor loci in epistulis:

Att. III 7,3: Quod de fratre, ubi eum visuri essemus, nesciebamus.
VII 14,3: De mulieribus nostris quaeso videas, ut satis honestum sit eas Romae esse.
XII 24,2: Quaero de Regillo, rectene meminerim patre vivo mortuum.
Fam. X 5,2: Rursus declaratio animi tui, quem haberes de re publica.

Aliter se habent ii loci, ubi enuntiati interrogativi obiectum (eodem modo ac subiectum in iis quos supra commemoravimus locis) in initio interrogationis positum est. Huius verborum collocationis exempla nonnulla in orationibus, plurima in epistulis inveniuntur:

Sex Rosc. 42: Ego res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum.
134: Familiam quantam habeat, quid ego dicam!
Div. Caec. 49: Quartum quem sit habiturus, non video.
Verr. IV 88: Ea quo pacto distinguere possim, nescio.
Imp. Cn. Pomp. 38: Itinera quae fecerint, recordamini.
Leg agr. II 31: Videte. eos quanto maioribus ornamentis afficiat.
Acad. II 96: Vide, hanc conclusionem probaturusne sis.
Fin. IV 69: Quod sapientia, pedem ubi poneret, non habebat.
Fam. IX 6,2: Ut scires, hospitium tibi ubi parares.
XVI 18,3: Te quando exspectemus, fac ut sciam.
Att. V 20,1: Ephesum ut venerim, nosti.
IX b, 3 (Balbus): Haec quam prudenter tibi scribam, nescio.
13,3: Nec ego eum iuvare qua re possim, scio.
XII 51,2: Id utrum illi sentiant anne simulent, tu intelleges.
XIII 2,2: Pedem ubi ponat in suo, non habet.
XV 24: Te quo die exspectem, velim scire.
XVI C. 16,10: Atticum quanti faciam, scis

Fr. A. IX 9: Populum quanti faceret, ostendit.
E. III 2: Balbum quanti faciam, scies.

Praeter accusativum etiam subiectum interrogationis voculam interrogativam antecedit his locis:

Tusc. V 120: Quare hunc locum ceterarum disciplinarum philosophi quemadmodum obtinere possint, ipsi viderint.
Att. VI 1,1: Scire vis, tuas litteras ego quas acceperim.
9,2: Dubitabam, tu has litteras essesne accepturus.

Neque praetereundae sunt eae interrogationes obliquae, quarum compositio haec est, ut post accusativum verba, unde pendeat interrogatio, inserantur.

Verr. I 61: Ne haec quidem duo signa pulcherrima habes quomodo emeris.
V 26: Itinerum primum laborem accipite quam facilem sibi iste reddiderit.
Phil. III 18: Me isdem edictis nescit laedat an laudet.
(ubi praeter accusativum ablativus antecedit).
De or. II 127: Illa deprome nobis unde adferas.
Rep. II 8: Id haud scio an liceat dicere.
Fam. I 9,4: Vatinium scire te velle ostendis quibus rebus adductus defenderim et laudarim.
XIII 19,3: Litteras ad te nunquam habui cui darem.

II.

Proximus est locus ablativi, qui item prolepsis cuiusdam non expers esse videtur. Duo autem huius prolepsis exempla afferri possunt, quorum alterum activam, alterum passivam formam praebet, ita ut ablativi notio aut obiectum aut subiectum sit eius verbi, quocum interrogatio obliqua coniungitur.

Att. II 11,1: Ac diem[1]), quo Roma sis exiturus, cura ut sciam.
Leg. agr. II 86: Multitudo quaeritur, qua illa omnia oppida compleantur.

Neque desunt loci, ubi ablativus vocabulum interrogativum antecedat, verbo unde pendet interrogatio aut interposito aut sequente:

Phil. III 18: Me isdem edictis nescit laedat an laudet.
Att. VI 2,4: Hac re incredibile est quantum civitates emerserint.

---

[1]) *die* cod. Mediceus, quae scriptura genuina esse vix potest.

Att. III 15,2: Ad primam hoc tibi scribo, me tam firma mente ubi utar non habere.

Praeterea huc referendum est:

Cat. IV 9: Nunc ego mea video quid intersit.

III.

Reliquos autem enuntiatorum interrogativorum casus, genetivum ac dativum, comprehendere mihi liceat, quippe quorum condicio fere eadem sit. Horum enim notiones a Cicerone ad enuntiati primarii verbum per anticipationem non referuntur. Saepius autem primo interrogationis loco collocantur. Huius structurae exempla afferam, quibus addam eas interrogationes obliquas, in quibus vocabula praepositionibus adiuncta et complures casus et adverbia eodem modo posita sunt.

a.

Illud, a quo pendet interrogatio, verbum in hanc ipsam ita insertum est, ut

1.

genetivus ab eo, quocum coniungendus est, vocabulo seiungeretur.

Fin. III 3: Stoicorum non ignoras quam sit subtile disserendi genus.

2.

dativus.

Div. I 9: Eius rationi non sane desidero quid respondeam.

Att. XIV 18,4: Nec Bruto meo exilium meditanti video quid prodesse possim.

3.

vocabula praepositionibus adiuncta.

Caec. 25: De eo dubito quomodo aut loquar aut taceam.

Vatin. 37: De gestu intellego quid respondeas.

Acad. I 6: Apud nostros non ignoras quae sit et quanta subtilitas.

Leg. II 32: Hac tu de re quaero quid sentias.

Fam. VI 4,2: De illis non arbitror te exspectare quid sentiam.

XIII 55,2: De reliquo mihi dubium fuit quid ad te scriberem.

Q. fr. III 9,3: In republica scio quam sollicitus esse soleas.

Att. II 6,2: De muro statue quid faciendum sit.

VII 13A, 3: De Ciceronibus nostris dubito quid agam.

Att. XI 4,2: De pensione altera, oro te, considera quid faciendum sit.
XIII 4,2: Quoniam de nominibus quaeris quid placeat.
Brut. II 4,4: De supplemento non video quid fieri possit.

b.

Verbum regens non interponitur.

1.

genetivus.

Att. II 11,1: Quo die non melius scirem, Romae quid ageretur.
21,5: Bibuli qui sit exitus futurus, nescio.

2.

dativus.

Verr. II 69: Neque Timarchidi quid responderet, habuit, nisi —.
Cluent. 187: Quaero a te, servo tuo quid factum esse dicas.
Div. I 29: M. Crasso quid acciderit, videmus.
Att. VII 3,11: Scis, illi reliquum quantum sit.
XIII 10,3: Nihil habeo quod dubitem, nisi ipsi Magio quae fuerit causa amentiae.

3.

adverbium.

Att. III 8,2: Nunc istic quid agatur, timeo.
VII 23,3: Quod quaeris, hic quid agatur.

4.

vocabula praepositionibus adiuncta.

Verr. I 47: Cum recordaris, in deos immortales quam impius fueris.
75: Qui in illa re quid facere potuerit, non habebat.
Sest. 113: Iam de Fannio quae sit existimatio, videamus.
Invent. II 50: Nunc exponemus, in coniecturalem constitutionem qui loci communes incidere soleant.
Fin. II 48: Ait eos neque intellegere nec videre, sub hanc vocem honestatis quae sit subicienda sententia.
Lael. 41: Videtis, in tabella iam ante quanta sit facta labes [1].
Fam. I 7,9: Ut considerarer, in omni reliqua vita quibus crederes.

---

[1]) Hoc loco post subst. cum praepos. exstat adverbium, loco qui est ad Att. VIII 2,4 (v. infra) nominativus.

Fam. XIII 68,2: Ego ad te, de republica summa quid sentiam, non saepe scribam.

XIV 9: Omnino, de omnibus rebus nec quid consilii capiam nec quid faciam, scio.

Q. fr. I 1,3: Equidem de isto genere honorum quid sentirem, scripsi ad te ante.

III 1,3: De eo quid videatur, ipse constitues.

4,5: De fisco quid egerit Scipio, quaeram.

Att. I 10,3: A senatu quanti fiam, minime me poenitet.

II 7,4: Velim scribas —, de legatione quid sit acturus.

III 5: Ad te quid scribam, scio.

9,3: Sciam, de reliquo quid agendum sit.

IV 16,9: Facias me certiorem velim, — et de Eutychide quid egeris.

V 10,4: Ut sciremus, in republica quid ageretur.

VI 1,5: De publicanis quid agam, videris quaerere.

1,23: De Memmio restituendo ut Curio cogitet, te audisse puto.

3,5: Iam in Appii negotio quantum tribuerim Bruto, dici vix potest.

VII 10: De reliquo neque hercule quid agam nec quid acturus sim, scio.

VII 19: De pueris quid agam, non habeo.

VIII 2,4: Videbis, de Gnaeo nostro ipse Vibullius quid existimet.

9,1: Ut testatum esse velim, de pace quid senserim.

IX A,1: De gratia et ope quid significares, mecum ipse quaerebam.

X 5,3: Tu, de tuo itinere quid cogitares, velim me certiorem facias.

XII 29,2: Huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius et de hac re quid tui consilii sit.

52,2: De epistula ad Caesarem quid egeris, exspecto.

XIII 20,1: De urbe augenda quid sít promulgatum, non intellexi.

22,1: De Varrone non sine casu quid tibi placeat, exquiro.

38,1: Ad patrem de me quid scripserit, nescio.

XIV 14,3: Ex eo quid manarint, vides.

Att. XVI 6,3: Cum Publilio quomodo agendum sit, videbis.
15,2: De hoc quid placeat, rescribas velim.
16,1: Cum Tirone quid sis locutus, cognoscam ex ipso.
Brut. I 5,4: Tu, de tota re quid sentias, velim me facias certiorem.
15,4: Post interitum Caesaris quid ego dixerim, non es oblitus.
15,11: De ceteris rebus quid senserim, audisse te arbitror.
Fr. A. IX 4: In iudiciis quanta vis esset, didicit.

Caput III.

De interrogationibus disiunctivis.[1])

§ 8. Interrogationum disiunctivarum compositio diversissima est. Sed quindecim, quae apud Ciceronem exstant, formae in tria genera dividi possunt, quorum primum eiusmodi est, ut omnes interrogationis disiunctivae partes particulis instructae sint; alterius natura haec est, ut in secunda parte particulae sint positae; tertium nullas recipit.

A.

§ 9. Ac primum quidem genus et longe usitatissimum est et formae eius maxime inter sese discrepant; novem enim apud Ciceronem inveniuntur:

utrum — an
utrum — anne
utrum ... ne — an
utrum — an non
utrum — necne
— ne — an
— ne — anne
— ne — an non
— ne — necne.

Minime vero harum formarum pares exstant numeri, sed *utrum* — *an* et *ne* — *an* saepissime a Cicerone adhibita sunt.

[1]) cf. Draeger: synt. § 468; Kuehner: gramm. §§ 233—34.

1.

§ 10. Interrogationum disiunctivarum ingens numerus, quae *utrum* — *an* particulis conformatae sunt, in duas partes dividi posse videtur, quarum altera eiusmodi est, ut duo hoc modo conferantur enuntiata, altera ita est comparata, ut *utrum* — *an* ad singula unius enuntiati vocabula spectent. Ac verba, unde pendent hae interrogationes, semper fere antecedunt; quindecim autem locis eas sequuntur; uno omnino omittitur verbum:

Acad. II 94: Quid ad illum, qui te captare vult, utrum tacentem inretiat te an loquentem.

Etsi autem plerumque interrogatio disiunctiva ex duabus constat partibus, tamen et tres partes (Verr. II 144, Pis. 22, Invent. I 17, II 61, Or. 181, Att. XVI 8,2) et singulis locis quattuor (Acad. II 124) vel quinque (Invent. II 16) inveniuntur, ita ut *an* et bis et ter et quater repetatur:

Praeterea memorabile mihi videtur hoc enuntiatum:

Muren. 27: Illud mihi quidem mirum videtur, tot homines etiamnunc statuere non potuisse, utrum diem tertium an perendinum, iudicem an arbitrum, rem an litem dici oporteret.

Nam primam interrogationem, quae *utrum* — *an* particulis instructa est, ceterae ita sequuntur, ut *utrum* omittatur.

Neque praetereundum videtur non deesse huius generis interrogationes, quarum natura haec sit, ut simplici interrogatione obliqua antecedente quasi partitionis locum obtineant:

Sex. Rosc. 88: Restat, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roscium occiderit, is — postremo — utrum inimicus potius an filius.

Font. 15: Statuite, quid vestra aequitas, quid populi Romani dignitas postulet : utrum coloniis vestris et credere et consulere malitis an iis —.

Rab. Post. 30: Non intellego, hoc quale sit : utrum accessionem decumae an decessionem fecerit.

Fam. XI 16,1: Permagni interest, quo tibi haec tempore epistula reddita sit, utrum cum sollicitudinis aliquid haberes an cum ab omni molestia vacuus esses.

XIV 4,3: Tu quid egeris, nescio : utrum aliquid teneas an, quod metuo, plane sis spoliata.

Att. II 5,2: De istis rebus exspecto tuas litteras : qui consules parentur, utrum Pompeius et Crasssus an cum Gabinio Sulpicius.

XII 8: Scribe, quaeso, quid referat Celer egisse Caesarem cum candidatis, utrum ipse in Foenicularium an in campum cogitet.

Saepissime igitur hac consuetudine Cicero usus non est. Ceterum postea ad eam redibimus, nunc hoc animadvertas velim, hasce quas attuli interrogationes disiunctivas, quae explicandi munere fungantur, longiora enuntiata esse.

a.

§ 11. Iam accedam ad priorem partem interrogationum disiunctivarum, quae *utrum* — *an* particulis instructae sunt : ad eas, quae ex duobus constant enuntiatis[1]). Haec autem eiusmodi sunt, ut aut duo subiecta et duo verba in iis posita sint aut, id quod usitatissimum est, duo verba ad unum pertineant subiectum aut duo subiecta unum recipiant verbum. Cuius rei liceat mihi ita afferre exempla, ut rationem habeam eorum verborum, quibus interrogationes sunt adiunctae.

α.

Interrogatio pendet ex verbo quaerendi.

Vatin. 20: Quaero, utrum decreturus fueris an auspicia fueris augur dissoluturus.

Invent. I 17: Plura quaeruntur hoc modo : utrum Carthago diruatur an Charthaginiensibus reddatur an eo colonia deducatur.

Tusc. IV 9: Quaerebam, utrum panderem vela orationis statim an eam ante paululum dialecticorum remis propellerem.

β.

Interrogatio pendet ex verbis sentiendi.

1. cognosco.

Cluent. 56: Voluit cognoscere, utrum iudices in eos solos essent severi an — iudicarent.

2. considero.

Lael. 26: Illud considerandum videri solet, utrum desiderata sit amicitia an esset hoc quidem proprium amicitiae.

[1]) aut ex pluribus : cf. Invent. I 17. Att. XVI 8,2.

3. consulto

Att. XVI 8,2: Consultabat, utrum Romam proficisceretur an Capuam teneret an iret ad tres legiones.

4. delibero.

Off. III 37: Deliberant, utrum id sequantur an se contaminent.

5. dubito.

Quinct. 41: Dubitabitur, utrum sit probabilius, Sex. Naevium statim, si quid deberetur, petiturum fuisse an ne appellaturum quidem biennio[1]?

Verr. III 86: Vos etiamnunc dubitate, si potestis, utrum tantum numerum acceperit an huic exegerit.

208: Desinite dubitare, utrum sit utilius parcere an improbitatem coercere.

Att. XV 26,1: Dubitans, utrum morem gerat Leptae an fidem infirmet filio.

6. existimo.

Font. 2: Non possum existimare, utrum ipse erret an vos in errorem ducere velit.

7. nescio.

Leg. agr. II 13: Hoc ille utrum insidiarum causa fecerit an hoc genere eloquentiae delectetur, nescio.

Fam. XIV 4,3: Tu quid egeris, nescio : utrum aliquid teneas an sis spoliata.

De or. II 56: — Ita ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis illustrentur.

8. perspicio.

Leg. agr. I 10: Quo in iudicio perspici non potest, utrum severitas acerbior an benignitas quaestuosior sit futura.

9. video.

Invent. II 61: — Videre, utrum malitia quid aliud agatur, aliud simuletur, an stultitia, an necessitudine, an occasione agendi sic sit iudicium aut actio constituta, an recte sine ulla re eiusmodi res agatur.

Font. 41: Videte, utrum sit aequius hominem honestissimum dedi inimicis an reddi amicis.

---

[1]) Apparet hoc loco accusativos cum infinitivis subiecti munere fungi, sicut etiam Font. 41.

γ.

Interrogationes disiunctivae ad verba declarandi pertinent.

1. dico.

Imp. Cn. Pomp. 42: Humanitate iam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint an mansuetudinem victi dilexerint.

Cluent. 26: Utrum impudentior hic, qui postulet, an crudelior illa, si nubat, difficile dictu est.

Nat. D. III 91: Utrum poetae Stoicos depraverint an Stoici poetis dederint auctoritatem, non facile dixerim.

2. statuo.

Cluent. 123: Statuamus, utrum ita sit an illi subscripserint.

Mil. 4: — Ut statuatis, utrum nos semper miseri lugeamus an recreemur.

3. constituo.

Fam. XIV 23: Cui utrum obviam procedam an hic eum exspectem, cum constituero, faciam te certiorem.

δ.

Enuntiatum interrogativum pendet ex verbo impersonali.

1. agitur.

Phil. V 6: Agitur, utrum facultas detur an horum ei facere nihil liceat.

2. apparet et exstat.

De or. I 72: Apparet et exstat, utrum simus earum rudes an didicerimus.

3. differt.

Caec. 39: Ut distare aliquid aut ex aliqua parte differre videatur, utrum deiciar an occurratur.

Fat. 32: Multum differt, utrum causa naturalis ex aeternitate futura vera efficiat an ea vera esse possint intellegi.

4) interest.

Sex. Rosc. 119: Ut — nihil interesset, utrum eam rem recusares an id maleficio confiterere.

Tull. 40: An quicquam interest, utrum defensionem constituant an peccandi potestatem permittant?

Verr. I 22: — Interesse, utrum onus reieceritis an iudicandi potestas erepta sit.

II 43: Quid interest, utrum — imperet an iudicium det?

III 141: Quid interfuit, utrum hoc decerneres an id profiterere.

174: Quid interest, utrum hoc feceris an frumentum non improbaris, sed —?

Leg. agr. II 46: Denique nihilne interest, utrum populus — deferat an is surripiatur?

Har. resp. 9: Quid interest, utrum — conqueratur an defendat?

Balb. 26: Nihil interest, utrum haec foederati iura constituant an ea rata esse non possint.

Pis. 10: Neque interest, utrum vexet an alios vexare patiatur.

Or. 220: Multum interest, utrum numerosa sit an plane e numeris constet oratio.

Nat. D. II 44: Nec — interest, utrum id neget an eos privet.

III 79: — Intersit, utrum nemo sit sapiens, an nemo esse possit.

Leg. I 55: Ne minimum quidem, utrum adessent an abessent, interesse dixit.

Off. III 82: Quid interest, utrum ex homine se convertat quis in beluam an hominis figura immanitatem gerat beluae?

Fam. I 7,8: Multum interest, utrum laus imminuatur an salus deseratur.

VIII 8,9 (Caelius): — Nihil interesse, utrum Caesar dicto audiens non esset an pareret.

XI 16,1: Permagni interest — : utrum cum sollicitudinis aliquid haberes an — vacuus esses.

Att. X 8,8: Haud mea multum interfuerit, utrum factum videam an — viderim.

5. refert.

Pis. 39: Nihil mea refert, utrum — ausus sis an amici — abdiderint.

Phil. II 29: Quid refert, utrum voluerim fieri an gaudeam factum.

ε.

Enuntiata interrogativa pendent a substantivis aut adiectivis cum verbo coniunctis.

1. argumenta colligo.

Verr. II 157: Iam dudum argumenta colligere videor, utrum voluerint an coacti sint.

2. in contione ponitur.

Cael. 55: — Ut res in contione ponatur, utrum temeraria mulier finxisse crimen an gravis vir testimonium dixisse videatur.

3. in discrimen adduco.

Phil. III 29: Res in discrimen adducta est, utrum ille poenas reipublicae luat an nos serviamus.

4. dissensio est.

Nat. D. I 2: Utrum nihil agant, nihil moliantur an contra ab iis omnia facta sint, magna dissensio est.

5. iudicatio nascitur.

Invent. II 73 et 76: Ex qua iudicatio nascitur : utrum satius fuerit amittere milites an ad hanc condicionem venire.

6. ratio est.

Caec. 57: Non alia ratio iuris —, utrum me tuus procurator deiecerit an tuus colonus.

7. dubium est.

Caec. 69: Non dubium est, utrum iudices an iuris consulti vituperandi sint.

8. obscurum est.

De or. I 73: Utrum sciant pingere an nesciant, non obscurum est.

b.

Venio nunc ad alterum genus, quod constat ex iis interrogationibus disiunctivis, in quibus singulae unius enuntiati partes praeter subiectum aut verbum finitum *utrum* — *an* particulis inter sese componuntur, quod genus apud Ciceronem saepius quam illud invenitur. Subiectum igitur et verbum duabus interrogationis disiunctivae partibus communia sunt; verbum autem aut in priore aut in altera parte collocatur. Huc pertinent etiam ea enuntiata, in quibus duo accusativi cum infinitivis obiecti munere fungentes per interrogationem disiunctivam sibi opponuntur (Planc. 59. 71. Invent. II 125 De or. II 82.) Huius igitur structurae exempla eadem qua illa ratione praebere mihi liceat.

α.

Interrogatio pendet e verbo quaerendi.

1. quaero.

I.

Verbum interrogationis disiunctivae in priore collocatur membro.

Sex. Rosc. 92: Quasi non hoc quaeratur, eum utrum verisimilius sit ab eo esse occisum, qui — fuerit, an ab eo, qui —.

Cael. 33: Quaeram, utrum me secum severe agere malit an remisse.

Planc. 59: Quaesisti, utrum mihi putarem equitis Romani filio faciliorem fuisse viam an futuram esse meo filio.

Vatin. 10: Quaero, utrum putes melius fuisse me civem in hac urbe nasci an te.

Invent. II 44: Quaeritur, utrum videatur diligenter ratio esse habita an temere.

II.

in altero membro.

Flacc. 32: Reliquum est, ut quaeratur, utrum ista classis casu et remis an sumptu tantum et litteris navigarit.

Lig. 29: Quaero, utrum vestras iniurias an reipublicae persequamini.

Or. 26: Quaerit, utrum illa verba an portenta sint.

Tusc. V 15: Quaero, utrum aliquid actum an nihil putemus.

2. interrogo.

Invent. II 125: Interrogando, utrum scriptum neget esse an ab se contra factum esse.

3. requiro.

Planc. 71: De te requiro, utrum putes odium in me mediocre fuisse an fuisse in iis aliquem metum.

β.

Interrogatio pendet e verbo sentiendi.

1. considero.

Cluent. 135: Consideres censeo diligenter, utrum censorum iudicium grave velis esse an Egnatii.

Sull. 48: Si considerare coeperis, utrum magis mihi hoc necesse fuerit an tibi.

Invent. I 17: Placet considerare, utrum (causa) sit ex pluribus quaestionibus iuncta an ex aliqua comparatione.

2. consulo.

Off. II 71: Cum consuleretur, utrum bono viro an minus probato diviti filiam collocaret.

3. delibero.

Off. I 10: Utrum honestum an turpe sit (sc. id quod in deliberationem cadit), deliberari solet.

4. dubito.

I.

Div. I 48: Cum dubitaret, utrum ea columna solida esset an extrinsecus inaurata.

II.

Phil. XIV 6: Nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere vultis, dubitantes, utrum in cive an in hoste figantur.

Att. IV 15,7: Pompeius fremit, Scauro studet, sed utrum fronte an mente, dubitatur.

5. experior.

Verr. I 24: Ut experiar, utrum ille ferat molestius me tunc tacuisse an nunc.

6. intellego.

Rab. Post. 30: Non intellego — : utrum accessionem decumae an decessionem de summa fecerit.

7. iudico.

I.

Fam. X 10,1: Ego iudicaturus sum, utrum sint *τοῦ ποιητοῦ* an *παραβεβλημένοι*.

II.

Parad. 13: Ipsi iudicent, utrum se horum alicuius an C. Fabricii similes malint.

Prov. Cons. 8: Ut nemo posset, utrum posterior an infelicior esset, iudicare.

8. nescio.

Verr. I 105: Utrum admonitus an testatus an sine duce ullo pervenerit ad hanc improbitatem, nescio.

Att. XIV 13,1: Me ipsum nescire arbitraris, utrum magis tumulis an ambulatione *ἁλιμενεῖ* delecter.

9. scio.

I.

Vatin. 22: Ut sciamus, utrum sis inventor an imitator.

II.

Fam. XV 9,4: Hui quam velim scire, utrum ista sollicito animo an soluto legas.

10. video.

Fam. VII 16,3: Id utrum Romano more locutus sit, bene nummatum te futurum, an quomodo Stoici dicunt, omnes esse divites, qui caelo et terra frui possint, postea videro.

γ.

Interrogationes disiunctivae pertinent ad verba declarandi.

1. constituo.

Dom. 3: Vobis constituendum est, utrum perditos magistratus sceleratorum praesidio nudare — an armare malitis.

2. describo.

Invent. I 11: Res erit describenda, ut, si quis sacrum ex privato surripuerit, utrum fur an sacrilegus sit iudicandus.

3. dico.

Fam. X 23,1 (Plancus): Amor tuus ac iudicium de me utrum mihi plus dignitatis an voluptatis sit allaturus, non facile dixerim.

4. scribo.

Att. X 8: Scribe, utrum ipse in Foenicularium an in campum cogitet.

5. statuo.

I.

Font. 15: Statuite — : utrum coloniis vestris credere malitis an eis —.

Phil. II 30: Nunquamne intellegis statuendum tibi esse, utrum illi homicidae sint an vindices libertatis?

De or. III 82: Neque possum statuere, utrum magis mirer te illa potuisse perdiscere an posse isto modo dicere.

II.

Muren. 27: Statuere non potuisse, utrum diem tertium an perendinum dici oporteret.

Balb. 65: Accedat, ut statuatis, utrum amicitias calamitati an ornamento esse malitis.

δ.

Enuntiata interrogativa pendent ex impersonalibus.

1. agitur.

Fam. X 26,2: Id agitur, utrum hac petitione an proxima praetor fias.

2. certatur.

De or. II 335: Certatur, utrum honestati potius an utilitati consulendum sit.

3. interest.

I.

Verr. III 35: Utrum ita scripserit, si uter volet, an si decumanus volet, nihil interest.

Phil. V 27: Quid interest, utrum hanc urbem oppugnet an huiusmodi propugnaculum?

Acad. II 54: — Ut nihil intersit, utrum ita cui videatur insano an ut sano.

Tusc. IV 42: Nihil interest, utrum moderatas perturbationes adprobent an moderatam iniustitiam.

Fat. 36: Interesse aiunt, utrum eiusmodi quid sit — an eiusmodi.

Att. IV 16,9: Tantulum interesset, utrum per procuratores ageres an per te ipsum.

XI 5,1: Multum interest, utrum me homines in oppido videant an in urbe.

XII 46: Nescio, quid intersit, utrum illunc nunc veniam an ad decem annos.

II.

Sex. Rosc. 47: Cum nihil intersit, utrum hunc ego comicum an aliquem ex agro Veiente nominem.

Verr. V 160: Non intellegebat miser nihil interesse, utrum haec Messanae an apud istum in praetorio loqueretur.

Leg. agr. II 66: Quantulum interest, utrum in Massici radices an in Apuliam deducamini!

Nat. D. I 105: Quid interest, utrum de Hippocentauro an de deo cogitemus.

Rep. I 50: Ut hoc populorum intersit, utrum comi domino an aspero serviant.

Off. I 27: Permultum interest, utrum perturbatione aliqua an consulto fiat iniuria.

Q. fr. I 1,17: Neve interesse putent, utrum Trallis an Formias venerint.

Brut. II 1,1: Non ignoras, quid intersit, idem illud utrum ante an post decernatur.

ε.

Enuntiata interrogativa pendent ex substantivis et adiectivis cum verbo coniunctis.

1. causa deducitur.

Q. Rosc. 34: Huc causa deducitur, utrum Roscius cum Flavio de sua parte an de tota societate fecerit pactionem.

2. distinctio est.

Tull. IV 59: Est illa distinctio, utrum ad universam perturbationem an ad singulas melius adhibeatur.

3. optio datur.

Caec. 64: Si mihi optio detur, utrum malim defendere non esse deiectum eum an armatos non fuisse eos.

Fr. A. II 14: Optio vobis datur, utrum velitis casu illo itinere Varenum usum esse an huius persuasu.

4. res est.

Verr. II 155: Magna res est, utrum Siculos amicos an inimicos existimari velis.

5. dubium est.

Opt. gen. 12: Quid? dubium est, utrum orationem nostram tolerabilem tantum an etiam admirabilem esse cupiamus?

Nat. D. I 86: Dubium est, utrum dicat aliquid beatum esse an si quid sit.

6. aliud est.

Or. 73: Cum aliud totum sit, utrum decere an oportere dicas.

2.

§ 12. Posteaquam igitur omnia exempla, quibus *utrum* — *an* formulae ratio illustratur, attuli, accedam nunc ad eas inter-

rogationum formas, quae cum hac ipsa artissime cohaerent. Ac primum quidem, *utrum* ... *ne* — *an*[1]) quibus locis usurpetur, videamus. Haec formula saepe a Cicerone adhibita non est neque ab illa longe discrepare videtur, quoniam inter sese componuntur, velut

Tusc. IV 59: Est illa distinctio, utrum ad universam perturbationem an ad singulas melius adhibeatur et utrum illudne non videatur aegre ferendum an omnium rerum tollenda aegritudo.

Utrum et *ne* particulae non connectuntur, sed *ne* cum proximo vocabulo coniungi solet. Neque desunt exempla, quae ita conformata sunt, ut *utrum* non particula, sed pronomen videatur et interrogatio obliqua, quae *ne* — *an*[2]) formulam praebet, explicandi munere fungatur, velut

Invent. I 51: Dic mihi, si vicina tua melius habeat aurum quam tu habes, utrum, illiusne an tuum, malis?

Div. II 129: Venit in contentionem, utrum sit probabilius, deosne immortalis concursare circum hominum lectos an natura fieri.

Tim. 6: Rursus videndum, fabricator utrum sit imitatus exemplar, idne quod semper unum et idem et sui simile, an id quod generatum dicamus.

Acad. II 71: Cum quaereretur, Dionysius utrum comprehendisset, illudne, quod tenuisset, an quod defensitavisset.

Verr. IV 73: — Illos cogitare, utrum esset Agrigentinis utilius, suisne servire anne populo Romano obtemperare.

Atque hac ipsa ratione haud scio an ea structura orta sit, in qua *utrum* pro pronomine haberi non possit. Exempla eius haec sunt (praeter locum qui est in Tusc. IV 59 supra allatum):

Quinct. 30: Ea res in discrimine versatur, utrum possitne se contra luxuriam ac licentiam rusticana illa atque inculta parsimonia defendere an deformata atque ornamentis omnibus spoliata nuda cupiditati petulantiaeque addicatur.

---

[1]) cf. Draeger: Synt. § 468 Ib1; Kuehner: gramm. § 234; 7.

[2]) A. Cornelio Nepote eodem modo — *ne* usurpatum videmus in Iph. 3,4: Is cum interrogaretur, utrum pluris — patrem matremne — faceret, 'matrem' inquit.

Invent. II 115: In quo, utrum copiane sit agri, vectigalium, pecunia an penuria, consideratur.

Nat. D. II 87: Videamus, utrum ea fortuitane sint an eo statu.

3.

§ 13. Particularum *utrum* — *anne* exempla Ciceroniana praeter ea, quae iam Draeger[1]) attulit, invenire non potui:

Or. 206: Quaerendum est, utrum una species et longitudo sit earum particularum anne plures.

Att. XII 51,2: Id utrum illi sentiant anne simulent, tu intelleges.

4.

§ 14. Atque exempla, quae supra allata et *utrum* — *an* particulis instructa sunt, fere omnia affirmativam praebent alterius partis sententiam, pauca, ut Tusc. V 15 et Quinct. 41, negationes nihil et ne — quidem receperunt. Nunc ad eas accedam interrogationes disiunctivas particula *utrum* instructas, quarum alterum membrum prioris negationem continet. Quam ad rem exprimendam a Cicerone duae usurpatae sunt formulae, quas comprehendere mihi liceat. Ac primum quidem Cicero ad negationem exprimendam *non*[2]) adverbium particulae *an* adiunxit. Quod bis ita factum esse iam vidimus, ut alterum membrum proprium haberet verbum:

Verr. III 174: Quid interest, utrum hoc feceris an frumentum Siciliense non impolaris.

Balb. 26: Nihil interest, utrum haec foederati iura constituant an ea rata esse non possint[3]).

Semel autem alterum membrum ex verbis *an non* constat:

Balb. 22: Utrum fundi facti sint an non, quaerendum esse videtur.

Saepius quam *utrum* — *an non* formula *utrum* — *necne* invenitur. Cuius natura haec est, ut plerumque priore interrogationis parte tota contineatur sententia et *necne* sine ullo vocabulo ponatur. Duobus autem locis ab hac consuetudine Cicero ita discedit, ut copulae *esse* eandem formam et in priore et in altero interrogationis membro ponat (Fin. V 45. Nat. D. III 17).

---

[1]) cf. § 468 Ib 1.

[2]) cf. Draeger § 468 Ib 1. Kuehner § 234, 2.

[3]) *Nihil* aut *ne* — *quidem* in altero membro extat Tusc. V 15 et Quinct. 41.

Neque praetereundum censeo uno praeter hos loco (fin. III 73) *necne* in interrogationis fine positum non esse, semper autem et verbum et subiectum et obiectum sibi constare. Nunc vero exempla afferre mihi liceat, quorum Draeger[1]) primum in quarta oratione Verrina invenit, ego autem iam antea in oratione Tulliana:

Tull. 42: Id quaeri, utrum haec tam acerba, tam indigna, tam atrocia facta essent necne.

Verr. IV 35: Quaeram, utrum emeris necne.

Caec. 93: Ecquid interest, utrum in hoc sit additum necne?

104: Si quaeritis, utrum Caecina possederit necne.

Fin. III 73: Nec potest quisquam — vere iudicare, nisi omni cognita ratione naturae et vitae etiam deorum et utrum conveniat necne natura hominis cum universa.

Fin V 45: Utrum sit voluptas in iis rebus, necne sit, nihil interest.

Nat.D.III 17: Di utrum sint necne sint, quaeritur.

Brut. II 5,5: Nec quidquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus necne.

Respondent sibi *necne* et *an non* hoc loco:

Fam. XI 26 (Brut.): Deliberent, utrum traiciant legiones ex Africa necne et ex Sardinia, et Brutum arcessant necne, et mihi stipendium dent an non decernant.

5.

§ 15. Sequitur, ut de iis, quae *ne* — *an* particulas recipiunt, interrogationibus disiunctivis loquar. Atque exemplorum, quae hoc modo comparata sunt, ingens invenitur numerus neque multum ab iis, quae *utrum* — *an* formula instructa sunt, discrepant. Primum igitur illa quoque quasi partitionis locum obtinent aut explicandi munere funguntur, ita ut aut ad singula verba aut ad interrogationem obliquam, quae antecedunt, pertineant. Nam praeter ea, quae in formula *utrum* ... *ne* — *an* tractanda supra commemoravimus, commemoranda sunt haec:

Sex.Rosc.74: Si per alios fecisse dicis, quaero, servosne an liberos.

78: Dubitate, a quo sit Sex. Roscius occisus : ab eone, qui — an ab iis, qui —.

---

[1]) § 468 Ib 1.

Dom. 119: Videte, quid statuatis in mea causa de omnium fortuna, verbone pontificis putetis domum unius cuiusque consecrari posse an istae dedicationes — constitutae sint.

De or. I 220: Quis haesitavit ob eam causam, quod nesciret, quid esset iracundia, fervorne mentis an cupiditas — ?

II 84: Videant, quid velint : ad ludendumne an ad pugnandum arma sint sumpturi.

Part. or. 62: Rursus superioris cognitionis genera sunt tria : sit necne : quid sit : quale sit. Sit necne, ut ius in naturane sit an in more.

64: Ut (quaeritur) quonam pacto virtus pariatur, naturane an ratione an usu.

Nat. D. II 133: Hic quaerat quispiam, cuiusnam causa tantarum rerum molitio facta sit : arborumne et herbarum an bestiarum?

Fam. VI 8,2: A me consilium petis, quid sim tibi auctor, in Siciliane ut subsidas an ut ad reliquias Asiaticae negotiationis proficiscare.

Fam. XI 29,1: Cum te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres, eundumne ad Pompeium an manendum in Sicilia.

Q. fr. III 8,2: Velim cures, ut sciam, quibus nos dare oporteat eas, quae ad te deinde litteras mittemus, Caesarisne tabellariis an Labieni.

Att. XVI 10,1: Tria sunt : maneamne Arpini an propius accedam an veniam Romam.

Brut. I 18,1: Quaesivit, quidnam mihi videretur, arcesseremusne te an melius — esset.

Post ne particulam *an* saepius repetitur, atque bis *an* positum est in Invent. II 45, De or. I 222, II 132, Or. 179, 204, Part. or. 64, Fam. XIV 18,1, Att. XVI 8,2, 10,1, qui loci postea afferentur; ter autem *an* uno in loco collocatum videmus esse [1]):

Fin. IV 19: Qua forma exposita scire cupio, quidnam horum ab eo non sit probatum : quodne omnem naturam conservatricem sui dixerint, an quod omne animal

---

[1]) cf. Draeger § 468 Ib 2.

ipsum sibi commendatum, an quod idem statui debere de totius arte vitae, an quod et haec ipsa et eorum virtutes per se esse sumendas.

Atque si interrogationem disiunctivam, quae *ne* — *an* particulis instructa est, altera sequitur, haec aut eandem praebet formam, velut

Att. XII 20,2: Velim me facias certiorem proximis litteris, Cn. Caepio, Serviliae Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit an mortuo, item Rutilia vivone C. Cotta, filio suo, mortua sit an mortuo.

XVI 6,1: Putabam fore, ut illic *δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες* cogitaremus, corbitane Patras an actuariolis, et statimne freto an Syracusis.

aut altera interrogatio *ne* particula omissa *an* solum recipit, velut

De or. I 222: Ita sensus mentesque pertractat, ut — neque exquirat oratione, summum illud bonum in animone sit an in corpore, virtute an voluptate definiatur, an haec inter sese iungi copularique possint, an vero nihil plane cognosci possit.

Or. 27: Negat in eo positas esse fortunas Graeciae, hocine an illo verbo usus sit, huc an illuc manum porrexerit.

Div. II 10: Num censes eos posse respondere, sol maiorne quam terra sit, an tantus, quantus videatur? lunaque suo lumine an solis utatur.

Invent. I 18: Considerato genere causae et cognita constitutione, cum simplexne an coniuncta sit intellexeris et scripti an rationis habeat controversiam videris, deinceps erit videndum —.

Intuentibus autem nobis in omnes interrogationes, quae particulis *ne* — *an* sunt disiunctae, eadem ratione atque illae, quae utrum — an formam praebent, usurpatae videntur esse. Nam primum ad eadem verba eas pertinere videmus, ita ut ea fere semper priorem locum teneant, paucis locis post interrogationem posita sint, velut Invent. I 18, de Or. III 117, Off. I 8, III 11, Or. 188, Att. XVI 13 b,1. Semel verbum post primum interrogationis membrum collocatum invenimus, in

De or. II 132: Naturam causae videat, quae nunquam latet: factumne sit, quaeratur, an quale sit, an quod nomen habeat.

Deinde animadvertendum est Ciceronem hac formula *ne — an* in philosophicis potissimum scriptis et in rhetoricis usum esse, in orationibus et epistulis eam rarius inveniri. Hae autem ipsae interrogationes disiunctivae item in duo dividi possunt genera, quorum altero duo enuntiata, altero singula unius enuntiati vocabula conferuntur.

I.

Atque prioris generis interrogationes disiunctivae eiusmodi sunt, ut aut duo subiecta et duo verba in iis collocentur aut duo verba ad unum subiectum aut duo subiecta ad unum verbum pertineant. Locos autem ita proponam, ut ad ea, quibuscum interrogationes disiunctivae coniunctae sunt, verba eos referam.

a.

Enuntiata interrogativa pendent ex verbis quaerendi.

1. quaero.

Caec 73: Quaero, sitne aliqua huius rei actio an nulla.

De or. II 132: Factumne sit, quaeratur, an quale sit, an, quod nomen habeat.

III 117: Idemne sit an aliquid intersit, quaeritur.

Or. 205: (Quaesitum est) tum, in omnibusne numeris aequaliter particulas deceat incidere an facere alias breviores, alias longiores.

Top. 85: Si quaeratur, eloquentiane pluris sit an iuris civilis scientia.

88: Quaeritur, idemne an aliud sit.

96: Ut quaeratur, verbane plus an sententia valere debeant.

Leg. I 3: Quaero ex ipso poeta, tuine versus hanc quercum severint an ita factum de Mario acceperis.

Att. XII 24,1: Quaero, quod illi opus erit Athenis, permutarine possit an ipsi ferendum sit.

2. exquiro.

De or III 115: Cum quid cuiusque sit proprium exquiritur, ut ornate dicere propriumne sit oratoris an id etiam aliquis praeterea possit.

Att. XVI 8,2: Tuumne consilium exquiro, Romamne veniam an hic maneam an Arpinum fugiam.

3. requiro.

Cael. 52: Quo in crimine requiram, dixeritne Clodiae — an non dixerit.

Acad. II 19: Si optio naturae nostrae detur et ab ea deus aliqui requirat, contentane sit suis integris sensibus an postulet melius aliquid.

b.

ex verbis sentiendi.

1. animadverto.

Off. III 50: Ut animadvertendum est, repugnetne plane an possit coniungi.

2. cogito.

Fam. V 12,2: Ut cogitares, coniunctene malles contexere an seiungeres.

3. considero.

Tim. 5: De quo id primum consideremus, semperne fuerit nullo generatus ortu an ortus sit ab aliquo temporis principatu.

4. dubito.

Att. V 6,2: Dubitans, Romaene sis an iam profectus.

5. intellego.

Tusc. I 50: Quasi vero intellegant, casurusne in conspectum videatur an tanta sit eius tenuitas.

6. nescio.

Or. 158: Nam amovit dicimus et abegit et abstulit, ut iam nescias, abne verum sit an abs.

Fam. II 5,2: Nescio, gratulerne tibi an timeam.

7. praetereo.

Att. X 4,11: Sunt, quae praeterii : interregnumne esset exspectaturus an, quomodo dixerit ille quidem, ad se deferri consulatum.

8. scio.

Acad. II 73: Nego scire nos, sciamusne aliquid an nihil sciamus.

9. specto et sequor.

Fin. V 12: Cum id sit unum, quod philosophia spectare et sequi debeat, sitne ea tota sita in potestate sapientis an possit labefactari.

10. tempto.

Parad. 4: Temptare volui, possentne proferri in lucem an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio.

11. teneo.

Acad. II 124: Tenemusne, quid sit animus, ubi sit? Denique sitne, an, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus.

12. video.

Phil. XIII 2: Hoc primum videndum est, cum omnibusne pax esse possit an sit aliquod bellum inexpiabile.

Acad. II 122: Ut videamus, terra penitusne defixa sit et quasi radicibus suis haereat an media pendeat.

c.

ex verbis declarandi.

1. explico.

Att XIII 18: Plane haec explices velim, maneasne in sententia an nihil necesse putes.

2. indico.

De or. I 73: Indicat ipse motus, didicerintne palaestram an nesciant.

3. respondeo.

Div. II 10: Num censes eos posse respondere, sol maiorne quam terra sit an tantus, quantus videatur.

4. scribo.

Att. XVI 13b,1: Possimne accedere an — putes, velim scribas.

5. statuo.

Att. III 15,6: Ex quibus statuam, in tuosne agros confugiam an abeam Cyzicum.

d.

e verbis impersonalibus.

1. agitur.

Balb. 10: — Ut id agatur, licueritne ei facere, quod fecit, an vero, non dicam, non licuerit, sed nefas fuerit —.

Phil. IV 12: Agitur —, victurine simus an cum supplicio ignominiaque perituri.

XI 24: Agitur, liberine vivamus an mortem obeamus.

2. accommodatur.

Off. II 30: Ad vitam accommodandum est, a multisne opus sit an satis sit a paucis diligi.

3. differt.

Top. 16: Multum differt, in arcane positum sit argentum an in tabulis debeatur.

4. interest.

Acad. II 85: Nihil interest, omnibusne partibus visa res nihil differat an internosci non possit.

e.

Interrogationes pertinent ad substantiva vel adiectiva verbis adiuncta.

1. contentio est.

Q. fr. II 2,3: Reliqua cum esset in senatu contentio, Lentulusne an Pompeius reduceret.

2. dubitationem habet.

Off. III 9: Potest habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus an plane omittendum.

3. iudicatio est.

Invent. II 62: Iudicatio : possitne quispiam de filii pupilli re testari an heredes secundi, ipsius patris familias, non filii quoque eius pupilli heredes sint.

4. quaestio est.

Or. 181: Quaestio est, communesne sint omni generi orationis an dispares muneri cuique orationis generi accommodentur.

5. incertum est.

Fam. IX 10,3: Cum incertum sit, tranquillone sis animo an in aliqua maiuscula cura negotiove versere.

II.

Alterum harum interrogationum genus ita est comparatum, ut *ne* — *an* aut ad singulos casus obliquos aut ad nomina praedicativa aut ad infinitivos obiecti munere fungentes aut ad adverbia eiusdem enuntiati pertineant, subiectum autem et verba

communia sint. Verbum nisi plane omittitur, et in priore et in altero membro collocatum esse invenimus.

a.

Interrogationes disiunctivae pertinent ad verba quaerendi.

1. quaero.

I.

Phil. X 5: Quaero, eumne Bruti similem malis an Antonii.

De or. III 14: Quid sit, quaeritur hoc modo: naturane sit ius inter homines an opinionibus.

Or. 179: Quaeri potest, qui sit orationis numerus: et is unusne sit an duo plures.

199: Solet quaeri, totone in ambitu verborum numeri tenendi sint an in primis partibus atque extremis.

Top. 82: Si quaeratur, a naturane ius profectum sit an ab aliqua quasi condicione hominum et pactione.

83: Proprietas sic quaeritur, in hominemne solum cadat an etiam in beluas aegritudo.

Off. III 89: Quaerit, equine pretiosi potius iacturam faciat an servioli vilis.

II.

De or. I 183: Quaeritur, is — continuone an, ubi lustrum sit conditum, liber sit.

III 117: Quaeritur, ut illud: optimine cuiusque sapientes an populari laude ducantur.

Or. 204: In quo quaesitum est, in totone circuito illo orationis an in extremis an in utraque parte numerus tenendus sit.

Att. IX 10,6: Quod quaeris a me, fugamne an moram utiliorem putem.

III.

Sex. Rosc. 74: Si per alios fecisse dicis, quaero, servosne an liberos.

2. exquiro.

De or. I 222: Neque exquirit, summum illud bonum in animone sit an in corpore.

3. perquiro.

De or. III 112: Aut ipsa cognitio rei scientiaque perquiritur, ut: virtus suamne propter dignitatem an propter fructus aliquos expetatur.

4. percontor.

Fin. II 118: Percontare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfruens in ea tranquillitate degere omnem aetatem sine dolore an vel Herculis perpeti aerumnas.

b.

ad verba sentiendi.

1. admiror.

Nat.D.II124: In quo admirandum est, congressune aliquo inter se an iam inde ab ortu naturae congregatae sint.

2. cogito.

II.

Invent. I 1: Saepe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit — copia dicendi.

Fam. IV 7,4: Cogitandum tibi esset, Romaene et domi tuae an Mytilenis aut Rhodi malles vivere.

III.

Att. XVI 6,1: Putabam fore ut cogitaremus, corbitane Patras an actuariolis et statimne freto an Syracusis.

3. considero.

I.

Invent. II 45: Si considerabit, — hoc huiusne rei sit signum an illius an et huius et illius.

Fam. XIV 18,1: Considerandum nobis, Romaene sitis an mecum an aliquo tuto loco.

III.

Att. XI 23,3: Petet fortasse tertiam pensionem, considera igitur, tumne an prius.

4. dubito.

I.

Nat.D. II 88: Hi dubitant de mundo, casune ipse sit effectus aut necessitate aliqua an ratione ac mente divina.

Off. I 8: Honestumne factu sit an turpe, dubitant.

III 7: Tribus generibus propositis, uno, cum dubitarent, honestumne id esset an turpe.

II.

Balb. 11: Ne forte dubitasse quisquam, verumne an falsum esset, videretur.

Off. I 161: Intellegi potest, non solum id homines solere dubitare, honestumne an turpe sit.

De or. III 131: Quo magis dubito, tibine plus laudis an Graecis vituperationis esse statuam.

5. iudico.

I.

De or. II 158: Ut iudicent, verumne sit an falsum.

II.

Fam. X 5,1: Iudicandum, amoremne erga me tuum an animum pluris aestimandum putarem.

6. permitto.

Nat. D. III 4: Tibi permitto, responderene mihi malis an universam audire orationem meam.

7. video.

I.

Or. 188: Hi numeri poeticine sint an ex alio genere quodam, deinceps est videndum.

Acad. II 68: Ut videndum tibi sit, idne malis an aliquid opinaturum esse sapientem.

II.

Att. XII 5,3: Vide, L. Libo, — Censorinone et Manilio an T. Quinctio M'. Acilio consulibus tribunus pl. fuerit

c.

ad verba declarandi.

1. constituo.

Fam. XI 27,1: Nondum satis constitui, molestiaene plus an voluptatis attulerit.

2. dico.

Mil. 16: Dicet, quod sua sponte fecit, Publione Clodio tribuendum putarit an tempori.

Invent. I 51: Dic mihi, virumne tuum malis an illius.

3. disputo.

Off. III 11: Rectene hanc tertiam partem adiunxerit an secus, de eo fortasse disputari potest.

4. respondeo.

Acad. II 95: Ut respondere possitis, verane an falsa sint.

d.

ad locutiones impersonales aut per ellipsin prolatas.

1. constat.

Fam. XIII 1,1: Etsi non satis mihi constiterat, cum aliquane animi molestia an potius libenter te Athenis visurus essem.

2. interest.

I.

Rep. III 47: Si sapientia est, quae gubernet rempublicam, quid tandem interest, haec in unone sit an in pluribus?

II.

Tusc. I 102: Theodori nihil interest, humine an sublime putescat.

3. nihil ad nos.

Pis. 68: Audistis dici, philosophos Epicureos omnes res voluptate metiri; rectene an secus, nihil ad nos.

e.

ad substantiva aut adiectiva cum verbis coniuncta.

1. coniecturam capio.

Div. I 130: Ceos accepimus coniecturam capere, salubrisne an pestilens annus futurus sit.

2. consilio iuvo.

Att. X 4,12: Me consilio iuva, pedibusne Regium an hinc statim in navem.

XV 20,3: Iuva me consilio : Brundisione an Puteolis.

3. dilectum habeo.

Off. I 149: Habere dilectum civis et peregrini in ipsoque peregrino, privatimne an publice venerit.

4. quaestio est.

Or. 180: Est prima illa quaestio, — deinde qualis sit aut quales et e poeticisne numeris an ex alio genere quodam.

5. certiorem facio.

Att. XII 20,2: Velim me facias certiorem proximis litteris, Cn. Caepio vivone patre naufragio perierit an mortuo.

24,2: Velim me certiorem facias, P. Crassus vivone patre mortuus sit an post.

6. incertum est.

Att. VII 20,2: Qui incertum est Phalarimne an Pisistratum sit imitaturus.

6.

§ 16. Proposui *ne* — *an* formulae exempla; nunc de iis, quae artissime cum hac cohaerent, breviter agendum. Primum igitur pro *an* positum est *anne*, ita ut formula *ne* — *anne* exstet. Sed uno tantum loco eam inveni:

Verr. IV 73: Quem taurum cum Scipio redderet Agrigentinis, dixisse dicitur, aequum esse illos cogitare, utrum esset Agrigentinis utilius, suisne servire anne[1]) populo Romano obtemperare.

A grammaticis hunc locum neglectum video.

7.

§ 17. Alteri interrogationis disiunctivae membro si negatio erat inicienda, a Cicerone eadem ratione atque *utrum* — *an non* et *utrum necne* formulae *ne* — *an non*[2]) et *ne* — *necne* usurpatae sunt. Etenim *ne* — *necne* ubi positum est, duobus interrogationis membris commune est verbum, quocum *ne* semper coniungitur; ceterum post *necne* verbi forma repeti potest. Alia autem est ratio, si *an non* in altera parte ponitur; tum enim et subiecti et verbi mutatio fieri potest, neque usquam simplex *an non* post *ne* positum invenitur.

Exempla autem haec sunt:

I.

ne — *necne.*

Rosc. com. 52: Quaero, potueritne Roscius ex societate suam partem petere necne.

Invent. II 94: Et (quaeri oportebit), fueritne ei, quo de agetur, id iuris, officii, potestatis attributum necne.

Tusc. II 42: Sitne malum dolere necne, Stoici viderint.

Nat. D. I 61: Quaeritur, sintne di necne sint.

Att. XV 20,4: Sintne excitata necne, tecum cognoscam.

II.

ne — *an non.*

Cael. 52: Quo in crimine requiram, dixeritne Clodiae, — an non dixerit.

---

[1]) Cod Guelferb. antiquior et deteriores nonnulli *an* praebent.

[2]) cf. Draeger: synt. § 468 I b, 3. Kuehner: gramm. § 234, 2—3.

Acad. II 85: Nihil interest, omnibusne partibus visa res nihil differat an internosci non possit.

Iis addenda sunt haec exempla:

Caec. 73: Quaero, sitne aliqua huius rei actio an nulla.

Acad. II 73: Nego scire nos, sciamusne aliquid an nihil sciamus.

124: Tenemusne, quid sit animus, ubi sit? Denique sitne an, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus.

B.

§ 18. Quibus rebus expositis satis docuisse videor, quae ratio esset earum interrogationum disiunctivarum, quarum omnes partes particulis sunt instructae : nunc videndum de iis, quarum prima pars nullas habet particulas, ceterae autem partes particulis adiunguntur. Harum aliquanto minor est numerus. Quinque autem particularum ita usurpatarum formae inveniuntur:

— — ne
— necne
— an
— anne
— an non.

1.

§ 19. Id igitur genus interrogationum disiunctivarum, quod *ne*[1]) particula formatum est, maxime ad duo vocabula conferenda usurpatum videtur. Neque unquam hae interrogationes ex pluribus quam e duobus membris constant, et e paucis iis locis qui huc pertinent quinque eiusmodi sunt, ut adverbia hoc modo inter sese componantur et obliquae interrogationis disiunctivae formam praebeant; velut

Acad. II 34: Cum sit incertum, vere inaniterne moveatur.

135: Iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant, recte secusne, alias videbimus.

Fin. III 44: Nobis aliter videtur: recte secusne, postea (sc. videbimus, cf. Acad. II 135).

V 87: Qui — vere falsone, non quaeretur — dicitur se oculis privasse.

---

[1]) cf. Draeger: synt. § 468 I a, 3; Kuehner: gramm. § 234, 4.

Fam. VII 25,2: Bene malene, videro.

Reliqua autem exempla — quae omnia duobus exceptis in philosophicis scriptis inveniuntur — similibus modis conformata sunt. Nam duo vocabula, ad quae interrogatio disiunctiva pertinet, inter sese continuari solent, verbum autem in fine ponitur:

Phil. II 41: Vide, quam te amarit is, qui albus aeterne fuerit, ignoras.

Or. 115: Qua ratione verum falsumne sit, iudicetur.

Fin. IV 76: Aurum paleamne (navis) portet, nihil interesse.

Acad. II 143: In hoc ipso, quod in elementis dialectici docent, quomodo iudicare oporteat, verum falsumne sit.

Div. II 142: Ut hoc ipsum pleni enectine simus, intellegi posse dicunt.

Fat. 9: Fatemur, acuti hebetesne, valentes imbecilline simus, non esse id in nobis.

His exemplis ea enuntiata addenda sunt, in quibus duae voces interrogatione inter sese oppositae aliis vocabulis divelluntur:

Fin. II 38: Si perspexerit, rerum inter eas verborumne sit controversia.

Tusc. I 14: Ut possit iudicare, verum id falsumne sit.

60: Anima sit ignisne (vis), nescio.

In exemplo ex nono libri qui de fato inscribitur paragrapho allato duas interrogationes inter sese continuari videmus, ita ut *ne* particula retineatur; aliter autem se habet

Fin. IV 69: Si nihil interesse nostra putemus, valeamus aegrine simus, vacemus an cruciemur dolore.

2.

§ 20. Ut supra diximus, altera interrogationis disiunctivae pars ubi negationem prioris continet, formulae *utrum — an non, — ne — an non, utrum — necne, — ne — necne* exstant. Maior autem quam huius generis enuntiatorum apud Ciceronem numerus invenitur interrogationum disiunctivarum, quarum prior pars particula caret, altera *necne*[1]) habet. *Necne* plerumque in extremo positum est nullo verbo addito, rarius ante finem posi-

[1]) cf. Draeger: synt. § 468 I a, 4; Kuehner: gramm § 234, 3.

tum invenitur, fere semper ita, ut verbum interrogationis aut vocem *necne* sequatur aut post eam iteretur. Verba autem, a quibus hae interrogationes pendent, partim antecedunt, partim eas sequuntur.

a.

Necne in extrema interrogatione collocatur.

Tull. 30: Dici oportere quaeri, homines M. Tullii iniuria occisi essent necne.

38: De quo hoc primum quaero, venerit ea res in hoc iudicium necne.

Caec. div. 15: Si esset dubium, petissent necne.

Verr. I 117: Quid interest, proferantur necne?

Caec. 31: An dubium fuit, inesse vis aliqua videretur necne?

91: Si oportet quaeri, possederit necne.

104: Multo minus quaeri, A. Caecinae fundus sit necne.

Leg. agr. II 73: — Ut nihil intersit reipublicae, colonia deducatur necne.

Cat. II 13: Quaesivi a Catilina, in nocturno conventu apud Laecam fuisset necne.

Mur. 28: Posset agi lege necne, pauci quondam sciebant.

67: Nam factum sit necne, vehementer quaeritur.

Flacc. 27: Proximum est, ut, opus fuerit classe necne, quaeramus.

Dom. 16: Possem aliquid in ea re necne, ratio non habebatur.

Invent. II 92: Iudicatio est : cum is interfuerit, dedendus sit hostibus necne.

De or. II 106: Saepe res non, sit necne, sed qualis sit, quaeritur.

Brut. 185: Efficiatur ab oratore necne, iudicari solet.

Part. or. 62: Superioris (cognitionis) genera sunt tria : sit necne —.

Fin. II 34: In his primis naturalibus voluptas insit necne, magna quaestio est.

Acad. II 24: Sapientia si se ignorabit, sapientia sit necne.

Div. II 71: Quae (aves) pascantur necne, quid refert?

Leg. I 54: Quoi ego assentiar in omnibus necne, mox videro.

Off. I 9: Consultant, ad potentiam conducat id necne.

48: Demus necne, in nostra potestate est.

Fam. II 17,3: Parthi transierint necne, praeter te video dubitare neminem.
Att. II 16,2: Bibulus de caelo tum servasset necne, sibi quaerendum non fuisse.
V 21,4: Cum scies, Romae intercalatum sit necne.
X 10,1: Qui statuere debeam, iure quis proficiscatur necne.
XII 28,1: Sit missum necne, nescio.
31,2: Possim assequi necne, tu cogites.

b.

Interrogationis verbum post *necne* repetitur.

Part. or. 33: Quoniam omne, quod in controversiam venit, id aut sit necne sit, aut quid sit, quaeritur.
64: Ubi sit necne sit aut fuerit futurumve sit, quaeritur.
93: Quid possit effici necne possit, maxime ex causis eis videndum —.

(qui locus propterea singularis est, quia prius membrum pronomine interrogativo cum enuntiato primario est coniunctum).

Fin. IV 29: Saepe accidit, ut nihil interesse nostra fateamur, sint illa necne sint.
31: Ampulla sit necne sit, quis non iure irrideatur, si laboret!
69: Si nihil nostra interesse putemus, famem propulsare possimus necne possimus.
Tusc. II 29: Hoc doce, doleam necne doleam, nihil interesse.
Div. I 86: Fiat necne fiat, id quaeritur.
Flacc. 80: Illud quaero, sint necne sint mancipi.
(ubi alia vox verbum sequitur).

c.

Interrogationis verbum semel ponitur, sed post *necne*.

Caec. 71: Cum quaeritur, aliquid factum necne sit.
Tusc. IV 62: Non est quaerendum, bonum illud necne sit.
Nat. D. I 37: Qui — dubitet, deus animans necne sit.

Aliud vocabulum vocem *necne* sequitur:

Top. 59: Beatos efficiat necne sola (sapientia), per se quaestio est.

Duobus autem locis pro *necne* hoc modo a Cicerone *an non* usurpatum esse videmus:

Invent. I 17: Simplex est (causa), quae absolutam in se continet unam quaestionem, hoc modo : Corinthiis bellum indicamus an non.

II 60: Quaestio est, excipiendum sit an non.

3.

§ 21. Atque haec quidem hactenus, videamus nunc de iis interrogationibus disiunctivis, quae *an*[1]) particulam solam receperunt. Primum igitur *an* saepius quam *ne* hoc modo adhibitum inveniri commemoro. Tum observari potest paullo aliter Ciceronem voce *an* in eiusmodi enuntiatis esse usum. Nam *ne* particula alteri interrogationis disiunctivae membro ita apponitur, ut hoc modo duo vocabula breviter inter sese componantur; *an* cum eadem ratione usurpatum invenimus, tum ita, ut et duo enuntiata sic coniungantur et interrogationes disiunctivae explicandi munere fungantur, id quod illis usu non venit. Praeterea has interrogationes disiunctivas ex pluribus nonnunquam membris quam duobus constare videmus, id quod in iis, quae *ne* receperunt, interrogationibus factum non est (velut Verr. II 188, De or. III 211). Iam si talem interrogationem altera subsequitur, haec quoque eadem ratione comparata est (velut Invent. I 12, 35, 38, 43; II 29, 30, 112; Att. XVI 11,4; Sex Rosc. 88; Part. or. 36; De or. III 211); illic autem particulae formam commutari intelleximus.

a.

An in iis interrogationibus disiunctivis adhibetur, ubi duo vocabula, sive subiecta sive aliae enuntiati partes, breviter ita comparantur, ut verbum finitum aut commune sit aut omissum.

Verr. II 150: Non quaero, iure an iniuria sint inimici.

Caec. 71: Cum quaeritur, aliquid factum necne sit, verum an falsum proferatur.

Cluent. 55: Quaesivit, clam an palam de re sententiam fieri vellet.

124: Hoc quaeramus, verum sit an falsum.

Leg. agr. II 56: Cognitio decemvirum, privatus sit an publicus.

Orat. sen. 14: Cum hoc homine an cum stipite in foro constitisses, nihil crederes interesse.

Mil. 31: Illud in iudicium venit, non occisusne sit, sed iure an iniuria.

---

[1]) Cf. Draeger: synt. § 468 Ia, 1; Kuehner: gramm. § 234, 3.

Invent. I 12: Quale sit, quaeritur hoc modo : iustum an iniustum : utile an inutile.

17: Considerandum est, in ratione an in scripto sit controversia.

35: Commoda et incommoda considerantur hoc modo: valens an imbecillus, longus an brevis, formosus an deformis, velox an tardus.

35: In fortuna quaeritur, servus sit an liber.

38: Ea opportunitas quaeritur ex his etiam attributionibus : sacer an profanus, publicus an privatus, alienus an ipsius, de quo agitur, locus sit aut fuerit.

43: In hac eae res quaeruntur, quae — : deinde natura eius evenire vulgo soleat an insolenter et raro.

II 29: Omnia haec, vir an mulier, huius an illius civitatis sit, ad coniecturam faciendam pertinebunt.

30: Cum servus an liber, pecuniosus an pauper, nobilis an ignobilis, felix an infelix, privatus an in potestate sit aut fuerit aut futurus sit, consideratur.

Invent. II 55: Si quaeratur, fur sit an sacrilegus.

112: Ex sua vi quaerentur hoc modo : magna an parva, facilia an difficilia, singularia sint an vulgaria, vera an falsa quadam ex ornatione honestentur.

De or. III 66: Alia et bona et falsa videntur Stoicis et ceteris civibus : vere an secus, nihil ad hoc tempus.

116: Si disseratur, laus an divitiae magis expetendae sint.

Or. 214: Nihil ad rem, exstrema illa longa sit an brevis.

217: Nihil interest, dactylus sit extremus an creticus.

Top. 82: Cum quaeritur, natura an doctrina possit effici virtus.

Part. or. 36: In locis et illa (spectantur) naturalia, maritimi an remoti a mari, plani an montuosi, laeves an asperi, salubres an pestilentes, opaci an aprici, et illa fortuita, culti an inculti, celebres an deserti, coaedificati an vasti, obscuri an rerum gestarum vestigiis nobilitati, consecrati an profani.

65: Disputandum est, aliud an idem sit.

Acad. II 32: Illos qui omnia sic incerta dicunt, ut, stellarum numerus par an impar sit, quasi desperatos aliquos relinquamus.
110: Si quaesitum sit, stellarum numerus par an impar sit.
124: Tenemusne, quidquid est, mortale sit an aeternum.
126: Quippe qui nesciamus, soli an aetheri serviamus.
Nat. D. I 66: Haec ego physicorum oracula fundo, vera an falsa, nescio.
Div. II 59: Quasi — intersit, mures scuta an cribra corroserint.
Rep. I 67: Ut nihil intersit, civis sit an peregrinus.
II 6: Maritimus et navalis hostis — denique ne nota quidem ulla, pacatus an hostis sit, discerni potest.
Off. I 30: Quod dubites aequum an iniquum sit.
Parad. 20: Auri navem evertat gubernator an paleae, in gubernatoris inscitia nihil interest.
Fam. IX 16,3: Te putabant quaesiturum, unum caelum esset an innumerabilia.
X 31,6: (Pollio) : Admiror non scripsisse te mihi, manendo in provincia an ducendo exercitum in Italiam magis satisfacere possim.
Att. VIII 14,3: Ait Lepidus, eum nescio quo penetrasse itineribus; occultandi sui causa an maris apiscendi, ne is quidem scit.
XI 25,2: Quod verum an falsum sit, nescio.
XIII 33,3: Vide in praefectis an in contubernalibus fuerit.
51,2: Quintus cras, sed ad me an ad te, nescio.
XVI 11,4: Cum deliberemus, honestum an turpe sit, alterum, utile an inutile.
Q. fr. II 11,4: Utros eius habueris libros an utrosque, nescio.
Brut. II 3,4 (Brut): Nescio, animi an ingenii tui maior in his libellis contineatur laus.

Interrogatio disiunctiva explicandi munere fungitur, ita ut ad interrogationem, quae antecedit, obliquam pertineat:

Sex. Rosc. 88: [1]) Restat, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roscium occiderit : is, ad quem morte eius divitiae venerint,

---

[1]) cf. Cornel. Nep.: Att. 5,4: Ut intellegi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero an Hortensius.

an is, ad quem mendicitas, is, qui antea tenuis fuerit, an is, qui postea factus sit egentissimus, is, qui ardens avaritia feratur, an is, qui — vixerit, is, qui — sit, an is, qui — reformidet; postrèmo, id quod ad rem mea sententia maxime pertinet, utrum inimicus potius an filius.

(In fine *utrum* — *an* propterea positum esse, ut extremae parti interrogationis vis ac pondus tribuatur, facile apparet).

Tull. 55: Dubitari hoc potest, reciperatores utri oppugnasse videantur, qui ad villam venerunt an qui in villa manserunt.

Verr. II 188: Postulo, ut mihi respondeat, qui sit iste, mercator an negotiator an arator an pecuarius : in Sicilia sit an iam decesserit.

Cluent. 81: Ea (pecunia) quaeritur unde profecta sit, ab accusatore an ab reo.

De or. III 211: Refert, qui audiant : senatus an populus an iudices; frequentes an pauci an singuli.

Fam. IX 4: Vide, utra te κρίσις magis delectet, Chrysippi an haec, quam —.

b.

Interrogationis disiunctivae partes ita sunt comparatae, ut duo enuntiata, quorum utrumque suum habet verbum, inter sese coniungantur. Sed ea quoque plerumque brevia sunt, velut

Verr. II 188: Ut mihi respondeat —, in Sicilia sit an iam decesserit.

Phil. III 18: Nam me isdem edictis, nescit, laedat an laudet.

XIII 33: Qui ubi terrarum sit, quid agat, vivat denique an mortuus sit, quis aut scit aut curat?

De or. I 231: Ille damnatus est : neque solum primis sententiis, quibus tantum statuebant iudices, damnarent an absolverent.

Fin. V 90: Quid interest, expetas an eligas!

Nat. D. II 4: Quod qui dubitet, haud sane intellego, cur non idem, sol sit an nullus sit, dubitare possit.

Propter formam prioris membri haec exempla maxime memorabilia sunt:

Invent. II 132: Postea ceteros cives quaerere ab iudicibus ipsis, quare in alienis detineantur negotiis, cur certo tempore conveniant, certo discedant : nihil quisquam afferat causae, quominus frequenter operam reipublicae det, nisi quae causa in lege excepta sit, an se legibus obstrictos in tantis molestiis esse aequum esse censeant, adversarios nostros leges neglegere concedant.

Att. II 6,2: Vide, quid narrent, ecquae spes sit denarii an cistophoro Pompeiano iaceamus.

VIII 12,4: Velim in posterum prospicias fingasque, ecquae pacifica persona desideretur an in bellatore sint omnia.

XII 21,4: Exspecto maxime, ecquid Dolabella tinniat an in meo nomine tabulas novas fecerit.

c.

Nunc vero, ut conclusa mihi iam haec sit omnis pars, nonnulla afferam exempla, quae ab omnibus adhuc propositis discrepant. Sed in hanc rem quoniam Draeger[1]) iam diligentius inquisivit, paucis eam mihi liceat absolvere. Primum igitur particula *an* vel detractione quadam vel per ellipsin in formam quasi breviatam disiunctivae interrogationis proferri videmus. „Eine verkürzte Form, inquit Draeger, der Disjunctive mit einfachem *an* und mit Ellipse des Verbum kommt seit Cicero öfters vor“, velut

Fin. II 104: Cum ei Simonides an quis alius artem memoriae polliceretur;

pro : nescio, Simonides fuerit an quis alius. Praeterea a Draegero afferuntur : Fam. VII 9,3; XIII 29,4; Att. I 3,2; II 7,3; VII 1,9.

His autem exemplis addo

Acad. II 63: Hortensius vehementer admirans me quoque, iocansne an ita sentiens, (non enim satis intellegebam) coepit hortari, ut sententia desisterem. —

quo demonstratur etiam formula . . *ne* — *an* Ciceronem similiter usum esse.

---

[1]) cf. synt. § 468 Ia, 1, et Kuehner: gramm. § 234, 3, adn.

Deinde iam Draeger animadvertit, eas interrogationes, quae ad *an* illud, quod post coniunctivum dubitativum „*dicam*" positum esset, pertinerent, obliquas omnino non esse:[1] „Eigentlich directe Fragen leitet *an* ein nach dem dubitativen Coniunctiv dicam". Equidem exemplo, quod attulit (Imp. Cn. Pomp. 57) hoc addo:

Div. II 51: Estne quispiam ita desipiens, qui credat exaratum esse, deum dicam an hominem?

4.

§ 22. Particulae *anne*[2]) in altero membro ita positae, ut prius membrum particula careat, exempla pauca inveniuntur. In eo exemplo, quod in oratione de imp. Cn. Pomp. habita exstat, *anne* in altera interrogationis disiunctivae parte a Cicerone adhibita invenimus, in tertia *an* : sed is locus non obliquarum, sed directarum interrogationum generi attribuendus est. (Imp. Cn. Pomp. 57: Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam anne Pompeio an utrique).

Fin. IV 23: Quid interest, divitias opes, valetudinem bona dicas anne praeposita?

Acad. II 48: Ut internoscat, vera illa visa sint anne falsa.

93: Placet Chrysippo, cum gradatim interrogetur verbi causa, tria pauca sint anne multa.

Parad. 24: Nihilne interest, patrem quis necet anne servum?

Att. XII 14,2: Scire velim, quando dicar spopondisse, et pro patre anne pro filio.

C.

§ 23. Denique de iis interrogationibus obliquis, quae ad nullas particulas sese applicant, disputandum est. Hac autem ratione Cicero perquam raro usus est neque plures quam quattuor locos huc pertinentes invenire potui. De quo dicendi genere recte Draeger dixit[3]), incertum saepe esse, utrum interrogatio disiunctiva an verborum *sive* — *sive* significatio exstaret. Sed

---

[1]) § 468 I a 1.

[2]) cf. Kuehner: gramm. § 234, 8.

[3]) cf. § 469 et Kuehner: gramm. § 234, 8 adn. 2.

apud Ciceronem uno loco *sive* — *sive* coniunctiones cogitatione addendas esse perspicuum est:

Nat. D. I 17: Ut mihi, velim, nolim, sit certa quaedam tuenda sententia.

In ceteris autem exemplis, quorum Draeger duo praebet, interrogationis disiunctivae ratio apparet:

Acad. II 92: Interrogati, dives, pauper, clarus, obscurus sit:

Nat. D. I 29: Nec Protagoras, qui sese negat omnino de deis habere, quod liqueat, sint, non sint, qualesve sint, quicquam videtur de natura deorum suspicari.

Q. fr. III 8,4: Velit, nolit, scire difficile est.

Appendix.

Coniunctivum semper in interrogationibus obliquis a Cicerone adhibitum esse constat. Invenitur tamen indicativus in nonnullis enuntiatorum generibus, quae ad interrogationes obliquas prope accedunt ac sine magna sententiarum diversitate cum iis commutari possunt. De his liceat mihi accuratius disputare.

§ 24. Ac primum quidem in iis, quae ad *quaero*, *dic* cett. pertinent, interrogationibus indicativus [1]) obtinere coniunctivi locum videri potest. Quodsi in eiusmodi interrogationes diligentius intuemur, eas non obliquas, sed id quod Draeger, Madvig, alii fusius exposuerunt, rectas esse intellegimus. In talibus locis, si rationem grammaticam spectamus, duo enuntiata non coniunguntur, sed parataxi adhibita per se ponuntur et copulatione atque colligatione carent.

Ex ipsa huius dicendi generis ratione apparet, verba, quibus eiusmodi interrogationes adiunguntur, antecedere atque aliquo modo quaerendi notionem continere. Nonnunquam vocabulis interrogativis adverbia tandem aut igitur adduntur; praeterea saepius in enuntiatis prioribus pronomina exstant, ita ut enuntiatum alterum epexegesis loco positum sit. Neque praetere-

[1]) cf. Draeger: synt. § 464; Kuehner: gramm. § 227.

undum videtur in enuntiatis huc pertinentibus quinque inveniri interrogationes disiunctivas, quae eodem modo parataxis speciem praebeant. Iam mihi liceat ex Ciceronis scriptis haec omnia afferre exempla, quorum plurima in orationibus exstant.

1.

Antecedit prima persona verbi *quaerendi* [1]).

Quinct. 54: Quaero abs te, C. Aquili, L. Lucili, P. Quinctile, M. Marcelle: vadimonium mihi non obiit quidam socius et affinis meus, quicum mihi necessitudo vetus, controversia de re pecuniaria recens intercedit?

Sex. Rosc. 119: Quaero abs te: iine indigni erant, qui impetrarent an iste commovebat an res iniqua videbatur?

126: Verum hoc quaero: qui potuerunt ista ipsa lege bona Sex. Roscii venire, qui potuerunt?

Q. Rosc. 8: Illud quaero: quam pridem nomen Fannii in adversaria rettulisti?

Verr. III 191: Quaero abs te, Hortensi: cum utrisne tandem istius factum collaturus es?

Leg. agr. II 17: Quaero a populari tribuno pl.: ecquando nisi per XXXV tribus creati sunt? [2])

Sest. 81: Hic quaero: fuistisne ad arma ituri? fuistisne aliquando rempublicam a funesto latrone repetituri?

Sull. 44: Abs te, Torquate, quaero: cum videres aliter referri, cur tacuisti, passus es?

---

[1]) Ubi secunda vel tertia persona antecedit, non parataxin illam exstare, sed orationem directam elucet. Cf. Verr. V 180: Quaeret aliquis fortasse: „tantumne igitur laborem, tantas inimicitias tot hominum suscepturus es?“ Cluent. 61: Quid tandem illi iudices responderent, si qui ab iis quaereret: „condemnastis Scamandrum quo crimine?“ (Vides, talia enuntiata cum interrogationibus obliquis nullam habere cognationem, quia personarum formae in interrogationibus diversae sunt ab iis quae in interrogationibus obliquis ponendae essent.) Nat. D. III 43: Quid ei respondeam, qui me sic roget: „si di sunt, suntne etiam Nymphae deae?“ Acad. II 93: Sequitur qui te interroget: „quo in numero conticuisti“ e. q. s. — Neque minus agnoscenda est oratio directa in fragm. A. VIII 5: Sed si familiariter *ex Q. Catulo* velim quaerere: „utrius tandem *tibi* tribunatus minus probari potest“ e. q. s.

[2]) *sunt* codicum lectio est, pro qua *sint* antiqui editores posuerunt.

Ligar. 9: Hoc quaero : quis putat esse crimen, fuisse in Asia?
24: Quaero : quid facturi fuistis?
Phil. V 14: Quaero : accipietne excusationem an Atheniensium antiquissimas leges negleget?
Fin. II 115: Quaero de te : si sunt di, ut vos etiam putatis, qui possunt esse beati?
Acad. II 95: Illud quaero : si ista explicari non possunt, ubi est illa definitio?
Rep. III 27: Quaero, si duo sint, quorum alter optimus vir, alter insigni scelere : quis tandem erit tam demens, qui —?
Parad. 23: Quaero ex te : utrum nobis est quaerendum, quid baioli operarii an quid homines doctissimi senserint?
Leg. II 12: Quaero a te, Quinte, sicut illi solent : id estne numerandum in bonis?

2.

Antecedit imperativus verbi *dicendi.*

Verr. I 143: Dic, quid addidit?
De or. II 261: Ut olim Rusca cum legem ferret annalem, dissuasor M. Servilus, Dic mihi, inquit, num, si contra te dixero, mihi male dicturus es?
Tusc. I 10: Dic, quaeso : num te illa terrent?
Q. fr. II 15,5: Dic mihi verum : num aut res aut χαρακτὴρ non delectat?
Att. XIII 21,4: Dic mihi : placetne tibi primum edere iniussu meo?
XV 19,2: Dic mihi : C. Antonius voluitne fieri septemvir.[1])

Ab his autem exemplis discrepat
Cluent. 185: Istam ipsam quaestionem, dicite, quis obsignavit?
quia imperativus *dicite* in medio enuntiato insertus neque initio totius periodi positus est.

---

[1]) Vix est quod addam, longe aliter comparata esse ea enuntiata, in quibus post *dices* interrogatio directa, quae alteri attribuitur, exstat. Inveniuntur huius generis interrogationes in epistulis : Fam. IV 3,2 : Dices; quid me ista res consolatur? Att. IV 2,5 : Dices : quid igitur causae fuit? 16,8 : Dices : quid mihi hoc proderit? VII 6,2 : Dices : quid tu igitur sensurus es? X 9,2 : Dices : ubi ergo tuus animus?

3.

Antecedit verbum videndi.

Sex. Rosc. 125: Primum hoc videamus: eius hominis bona qua ratione venierunt aut quomodo venire potuerunt?[1])

§ 25. Saepissime indicativum exstare post verbum *nescio* cum pronomine vel adverbio interrogativo coniunctum notissimum est. Cf. Draeger § 465: „In den Sätzen, welche das Verbum nescio unmittelbar mit einem fragenden Pronomen oder Adverb. verbinden, steht der Indikativ nur dann, wenn das Verbum mit dem Fragewort zusammen die Stelle eines indefiniten Pronom. oder Adverb. vertritt. *Nescio quis fecit* ist also zusammengezogen aus *fecit aliquis, nescio quis* (scil. *fecerit*)." Kuehner II § 227 p. 993: „Auch gehören nicht hierher (zu indirecten Fragen) die Stellen, in welchen die Ausdrücke *nescio quis, quid; nescio qui, quae, quod; nescio quomodo* mit dem Indikativ verbunden werden. Dieselben sind dadurch entstanden, dafs man den Coniunctiv *sit* oder *fiat* wegliefs und nun dieselben als einfache unbestimmte Pronomen behandelte, so dafs also das Verb nescio allen Einflufs auf den Modus verlieren musste."[2])

Ego nunc omnia afferam huius structurae exempla.

I.

Nescio quis, quid, cett pronominum indefinitorum locum obtinent[3]) mediisque inseruntur enuntiatis.

1.

Ad nomina propria sese applicant.

Dom. 81: Legem tulisti Anagnino nescio cui Menullae.

---

[1]) In Mil. 47 recte nunc cum libris T et E *sint* scribitur: *sunt* praebet S. — Locutiones quae verbis *mirum quantum* vel similibus conformantur pro enuntiatis interrogativis non esse habendas recte dicit Draeger § 466. Exemplis Ciceronianis ibi allatis adde Fin. IV 70: Se dicere inter honestum et turpe nimium quantum, nescio quid immensum, inter ceteras res nihil omnino interesse. Fam. VIII 10,1: Sane quam sumus commoti. Ab his autem enuntiatis prorsus diversa esse eas exclamationes, ubi post *en* vel (Phil. V 33) post *hem* pronomen relativum (Verr. I 93. Phil. V 33. Scaur. 13) aut *cur* (Sest. 59. Phil. III 22) cum coniunctivo coniungitur, facile apparet.

[2]) Praeterea cf. Krueger: gramm. lat. § 611 adn. 5; Weissenborn: synt. lat. § 215 adn. 2; Ed. Becker: de synt. int. obl. p. 228 sq.

[3]) Duo vocabula paene unius vim habuisse ostendunt ex. gr. verba *nescio quid enim Velienses verebantur* Fam. VII 20,1.

Mil. 65: Fuit audiendus popa Licinius nescio qui.
Marcell. 24: Misit ad Caecilium nescio quem.
Phil. XI 4: Praemisso Marco nescio quo.[1])
12: Accedit Saxa nescio quis.
XIII 26: Alter est designatus Insteius nescio qui.
De or. III 81: Pamphilum nescio quem sinamus in infulis tantam rem depingere.
Div. II 113: Ego Publicio nescio cui credendum existimo.
Lael. 87: Qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus.
Fam. XII 18,1: Antequam scisses, quo iste nescio qui Caelius Bassus erumperet.
Q. fr. I 1,18: Nisi forte me Paconii nescio cuius quaerelis moveri putas.
I 2,6: Ad C. Fabium nescio quem.
Att. I 18,4: Post Antiochum Gabinium nescio quem.
Fr. E. V 20: Ad statuam nescio cuius Clodii.

2.

Ad nomina appellativa.

a.

nescio quo modo et nescio quo pacto.

Tull. 15: Pecuniam nescio quo modo quaesitam.
Verr. III 94: Retinebatur nescio quo modo.
IV 64: Pervenit res ad istius aures nescio quo modo.
V 51: Inerat nescio quo modo nota servitutis.
Sest. 100: Boni nescio quo modo tardiores sunt.
Planc. 83: Haec nescio quo modo in me congessisti.
Marcell. 9: Res nescio quo modo obstrepi videntur.
Phil. II 78: Factus es ei nescio quo modo familiaris.
VI 10: Condemnatus nescio quo modo.
De or. I 82: Cum hoc nescio quo modo increbuisset.
Brut. 292: Decet hoc nescio quo modo illum.
Tusc. II 47: Hoc nescio quo modo dicitur.
Off. I 61: Ea nescio quo modo quasi pleniore ore laudamus.
146: Fit nescio quo modo, ut —.
Lael. 87: Serpit nescio quo modo per omnium vitas amicitia.
88: Obsurdescimus nescio quo modo.

---

[1]) Addendus est locus in § 5, si recte ibi Mommsen *nescio cui* coniecit.

Fam. V 9,1 (Vatin.): Scis meam fortunam nescio quo modo facile obtrectatores invenire.

IX 3,2: Artes nostrae nescio quo modo nunc uberiores fructus ferre videntur.

Q. fr. I 1,26: Quod in Asia nescio quonam modo laudatur.

Verr. IV 56: Ei nescio quo pacto annulus aureus fractus est.

Phil. VIII 28: Tamen nescio quo pacto revertistis.

Tusc. II 53: Ipsum etiam dolorem nescio quo pacto mitiorem facit.

V 63: In hoc genere nescio quo pacto magis quam in aliis summum cuique pulchrum est.

Leg. II 4: Moremur nescio quo pacto locis ipsis.

Senect. 28: Omnino canorum illud in voce splendescit etiam nescio quo pacto in senectute.

Lael. 4: Genus hoc plus nescio quo pacto videtur habere gravitatis.

Fam. V 15,2: Alii nescio quo pacto obduruerunt.

Att. XIV 17,6: Ille nescio quo pacto ferebat me mirabiliter.

b.

Alia nomina appellativa vel gentilicia inveniuntur his locis:

Quinct. 37: Te petiisse istam nescio quam innumerabilem pecuniam.

Div. Caec. 47: Si ab isto libro, quem tibi magister ludi nescio qui ex alienis orationibus compositum dedit.

Verr. II 98: Accusator nescio quo casu non respondit.

III 181: Pro nescio quo cerario.

IV 33: Hoc nescio quid sciebam nugatorium esse.

V 156: Non advenam nescio quem securi percussum esse dixit

160: Cum nescio qua ratione clam profugisset.

Cluent. 79: Causam nescio quam defendebat.

138: Recitavit ex oratione nescio qua.

Cat. II 11: Non breve nescio quod tempus propagavit.

Flacc. 39: O pastores nescio quos cupidos!

88: An simultates nescio quas exercet?

Cael. 35: Mente nescio qua effrenata.

36: Propter nescio quam timiditatem.

Prov. cons. 28: Homini plus tribui quam nescio cui necessitati.

Sest. 68: Intercessit Ligus iste nescio qui.
Pis. 1: Syrum nescio quem factum esse consulem.
13: Meministine — nescio quo e gurgustio te prodire?
Rab.Post.40: Propter opinionem pecuniae nescio quam.
Marcell. 13: Qui fato sumus nescio quo misero compulsi.
Phil. II 65: Ut est apud poetam nescio quem.
VI 3: Spe nescio qua pacis obiecta.
XIII 49: Ut ait poeta nescio quis.
De or. I 202: Non enim causidicum nescio quem conquirimus.
II 31: Exorsus est non gloriose magis a veritate quam a nescio qua dignitate.
Brut. 172: Tincam obruebat nescio quo sapore vernaculo.
Fin. I 61: Illi negant esse bonum quicquam nisi nescio quam illam umbram.
V 56: Quin etiam inertissimos homines nescio qua singulari nequitia praeditos videmus tamen et corpore et animo moveri semper.
Tusc. III 12: Qui istam nescio quam indolentiam magno opere laudant.
Div. II 79: Is cum ei tetrarchiam eripuisset et adseculae suo nescio cui dedisset.
Fam. III 13,2: Quod ipsum nescio qua permotus animi divinatione non despero.
V 15,3: Casu nescio quo nostra aetas incidit.
VI 18,2: Si in oppidum nescio quod venisset.
XV 13,2: Ita fato nescio quo contigisse arbitror.
Q. fr. I 4,2: Propter nescio quos motus.
Att. I 13,4: Huic terrae filio nescio cui committere epistulam non audeo.
V 16,2: Monstra quaedam non hominis, sed ferae nescio cuius immanis.
VI 3,6: Fuit aperte mihi nescio qua re non amicus.
X 11,2: De nescio quibus H. S. XX.
17,4: Quasi nescio cuius te flagitii insimularim.
XII 33,1: Is ita partes fecit in ripa nescio quotenorum iugerum.

3.

nescio quis, quid, cett. per se ponuntur.

Quinct. 12: Posteaquam nescio quid impendit.

Tull. 49: Non visum esse maioribus tam indignum nescio quid.
Verr. III 43: Ut nescio quid ad decumas accederet.
V 16: Excogitavit nescio quid.
79: Vivum nescio quem producis.
Cluent. 143: Est nescio quis de eis, quos —.
Leg. agr. II 28: Ut nescio quid spectasse videatur.
III 2: Quosdam strepitu significare nescio quid.
7: Labefactat videlicet nescio quid.
Flacc. 83: Ut nescio quid a te impetratum esse videatur.
Sest. 23: Laudabat nescio quos.
Vat. 23: Intolerandus ex scaeno nescio qui —.
Pis. 62: Ita nescio quid istuc fractum est.
Planc. 38: Libet tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari.
Mil. 14: Divisa sententia est — postulante nescio quo.
Div. II 37: Cor subito non potuisse nescio quo avolare.
Leg. II 3: Quare inest nescio quid.
Tusc. I 92: Ut nescio quando obdormivit.
Off. I 40: Quod se oblitum nescio quid diceret.
Fam. V 10a, 1: De Catilio nescio quid scripsisti.
XV 16,1: Fit nescio qui, ut —.
Att. I 17,1: Te suspicari videbam, subesse nescio quid opinionis incommodae.
V 17,5: Idem scripsit Hortensium dixisse nescio quid.
VI 1,20: Ista admonitio nescio quid mihi significare visa est.
VII 2,8: Quem ego propter litterularum nescio quid libenter vidi.
VIII 14,3: Ait Lepidus eum nescio quo penetrasse.
XII 35: Nunquam mihi venit in mentem, quo plus insumptum in monumentum esset quam nescio quid.
37,4: Hirtius ad me scripsit, Cn. fugisse nescio quo.
52,1: De ea re nescio quid te a Montano rogatum.
XIII 38,1: Exaravi nescio quid ad te.
XV 5,3: Epistulam a nescio quo missam.
XVI 5,1: Rumoris nescio quid afflaverat.
13 C, 1: De Antonii itineribus nescio quid aliter audio.

4.

Vocabula *nescio quis, quid,* cett. cum pronominibus, adiectivis, adverbiis, numeralibus coniunguntur.

Sex. Rosc. 115: Ex eo T. Roscius non paulum nescio quid in rem suam convertit.
Verr. V 170: Non unum nescio quem in crucem egisti.
Font. 25: Ille nescio quis sapiens requiratur.
Muren. 23: Istud nescio quid praeclarum aliquid esse.
Flacc. 40: Supplet iste nescio qui et privatum se dedisse dicit.
Arch. 15: Tum illud nescio quid solere existere.
Brut. 295: Addis nescio quid angustius.
Or. 79: Acutae crebraeque sententiae ponentur et nescio unde ex abdito erutae atque in hoc oratore dominabuntur.
Fin. IV 36: Cum ipse quoque animus non inane nescio quid sit.
61: Platoni ipsi nescio quem illum anteponebas.
Acad. II 81: At ille nescio qui, qui in scholis nominari solet, mille et octingenta stadia quod abesset, videbat.
Tusc. I 49: Praeclarum nescio quid adepti sunt.
Div. II 94: Illud nescio quid tenue.
134: Cur ergo hic nescio qui thensaurum solus invenit?
Fam. VII 5,2: Ut illud nescio quid divinum videretur.
IX 24,1: Ne nescio quid illud dediscas.
XII 13,1 (Cassius): Fatale nescio quid tuae virtuti datum.
XIII 1,3: Ut nescio quid illud — sibi concederes.
XV 4,13: Quaeres fortasse, quid sit quod ego hoc nescio quid tanti aestimem.
4,14: Si non ieiunum hoc nescio quid, quod —.
Att. IV 16,9: Huic nescio cui putavi dandas esse litteras.
IX 10,1: Hoc nescio quid nullo argumento proposito scribere institui.
XIII 10,1: Scribere ista nescio quae. —.
19,3: Absolvi nescio quam bene.
XIV 22,1: Statim hoc nescio quid exaravi.
Brut. I 1,2: Qui et facilius iudicare possum quam ille nescio quis.
Fr. A. IX 8: Vidisse aliud nescio quid illos iudices.
F. V 93: Illud nescio quid, quod —.

II.

Vox *nescio* in sententiae capite posita est neque ullam vim ad modum conformandum affert.

1.

Nescio quis, quid, cett. ad nomina appellativa sese applicant.

a.

nescio quo modo et quo pacto.

Mil. 76: Nescio quo modo iam obduruerat.
Brut. 82: Nescio quo modo huius exiliores orationes sunt.
273: Nescio quo modo discessit a sese.
Fin. II 44: Nescio quo modo populus cum illis facit.
V 77: Nescio quo modo praetervolavit oratio.
Acad. II 9: Nescio quo modo plerique errare malunt.
Tusc. I 24: Nescio quo modo, dum lego, assentior.
33: Nescio quo modo inhaeret in mentibus quasi saeclorum quoddam augurium futurorum.
77: Nescio quo modo doctissimus quisque contra immortalitatem disseruit.
Div. I 55: Nescio quo modo me magis nostra delectant.
II 118: Nescio quo modo isti philosophi videntur.
119: Nescio quo modo nihil tam absurde dici potest.
Senect. 82: Nescio quo modo prospiciebat.
Lael. 89: Nescio quo modo verum est.
Fam. V 15,3: Nescio quo modo me excludere videntur.
Att. X 14,2: Nescio quo modo imbecillior est medicina quam morbus.
XII 12,2: Nescio quo modo exspecto.
XV 16,b: Nescio quo modo οἶκος φίλος.
Brut. I 15,8: Nescio quo modo facilius in timore benigni quam in victoria grati reperiuntur.
Mur. 43: Nescio quo pacto semper hoc fit.
Flacc. 15: Nescio quo pacto elabitur.
De or. III 224: Nescio quo pacto etiam decet.
Fin V 13: Nescio quo pacto auctoritatem oratio non habet.
Tusc. III 80: Nescio quo pacto aberravit oratio.
Leg III 19: Nescio quo pacto recreatus est.
Lael. 100: Nescio quo pacto defluxit oratio.
Q. fr. I 1,18: Nescio quo pacto delapsa est oratio.

Att. I 20,6: Nescio quo pacto retardantur.
XII 37,2: Nescio quo pacto celebritatem requiro.

b.

Reliqua nomina appellativa.

Verr. II 98: Nescio quo casu non respondet.
Har. resp. 55: Nescio quam fortunam exspectant.
Fam. X 30,3: Nescio quo fato sum servatus.

2.

Nescio quis, quid, cett. per se ponuntur.

Phil. II 36: Nescio quid conturbatus esse videris.
De or. III 93: Nescio quos dicere aiebant.
Div. II 82: Nescio quid hoc modo nuntiat.
Fam. VII 20,1: Nescio quid enim Velienses verebantur.
VIII 6,4 (Caelius): Nescio quid amisit.
Att. XII 52,2: Nescio quid videris dubitare.
XIII 28,2: Nescio quid e quercu exsculpseram.
48,1: Nescio quid in strepitu videor exaudisse.
XV 4,1: Nescio quid ab eo litterularum.

3.

Nescio quis nomini proprio adiungitur.

Att. VIII 16,2: Nescio quas eius Lucerias horrent.

III.

Horum igitur exemplorum permagno numero allato nunc, ut res magis fiat perspicua, ea addam enuntiata, in quibus vox *nescio* cum pronomine interrogativo coniuncta propriam retinet sententiam, ita ut interrogationis obliquae species appareat. Quod ubi fit, voci *nescio* pronomen interrogativum iuxta apponi non est necesse. Ac memorabile est, *nescio* in his periodis fere semper, paucis locis exceptis, post interrogationem esse positum, ita ut a pronomine interrogativo seiungeretur atque divelleretur. Septem tantum locis, quorum quinque sunt in epistulis, *nescio* antecedere inveni, in eamque adducor sententiam a Cicerone hoc verbum consulto esse postpositum, ut duae dicendi rationes quomodo inter sese discreparent, eluceret.

a.

Nescio interrogationem sequitur.

Sex. Rosc. 42: Quid dicam, nescio.
Verr. IV 1: Ego quo nomine appellem, nescio.

Verr. IV 88: Ea quo pacto distinguere possim, nescio.
Cluent. 4: Quo me vertam, nescio.
Catil. I 16: Quae quibus a te initiata sacris sit, nescio.
Har. resp. 52: Quid sit, nescio.
Prov. cons. 39: Quo quisque animo futurus sit, nescio.
Ligar. 1: Quo me vertam, nescio.
Phil. II 107: Quid evenerit postea, nescio.
De or. II 195: De qua (arte) quid loquar, nescio.
III 145: Quid profeceris, nescio.
Brut. 190: Ego quae de me populi sit opinio, nescio.
260: Sisenna quid dicat, nescio.
Or. 168: Quid in iis hominis simile sit, nescio.
Fin. IV 73: Bonum ex quo appellatum sit, nescio.
Acad. II 136: Atrocitas tua quo modo irruperit, nescio.
Nat. D. III 15: Faunus quid sit, nescio.
Div. I 16: Quae causa sit, nescio.
Fam. I 9,25: Ego, quid ad te quisque scribat, nescio.
II 16,1: Qua re acciderit, nescio.
III 6,5: Te ubi visurus sim, nescio.
V 2,3: Quid tu existimes, nescio.
VI 22,3: Quid possim, nescio.
VIII 5,1 (Caelius): Qua tu cura sis, nescio.
8,10: (Caelius): Quid assequi possit, nescio.
VIII 16,3 (Caelius): Quam spem habeant, nescio.
XII 22,2: Quid futurum sit, nescio.
XVI 8,2: Cui tu quantum credas, nescio.
Q. fr. I 2,5: Tua quae fuerit cupiditas, nescio.
III 3,3: Quid futurum sit, nescio.
Att. II 21,5: Bibuli qui sit exitus futurus, nescio.
III 10,1: Quid ea mihi possit, nescio.
12,2: Quomodo exciderit, nescio,
15,3: Quae unde sit prolata, nescio.
V 3,2: Ad quas litteras tibi rescribi velis, nescio.
VI 22: Quid ad Statium rescripserit, nescio.
X 9 A, 3 (Caelius): Quam isti spem habeant, nescio.
VII 13a, 1: Quid sit acturus, nescio.
XI 23,2: Quid sit in iis litteris, nescio.
XII 40,2: Ego, quid homines reprehendant, nescio.

Att. XIII 38,1: Ad patrem de me quid scripserit, nescio.
XIV 18,4: Quid facturus sit, nescio.
XV 1a,5: Quid velit, nescio.
19,1: Quid velit, nescio.
19,2: Plane quid velit, nescio.

b.

Nescio antecedit.

Sex. Rosc. 42: Nescio, quae causa fuerit.
Fin. II 62: Nescio, quid satis sit.
Fam. VIII 1,1 (Caelius): Nescio, cuius otii esset.
Att. VI 2,10: Nescio, quid sit.
IX 14,2: Nescio, quid agam.
XII 46: Nescio, quid intersit.
Brut. I 17,1: Nescio, quid scribam tibi nisi unum.

§ 26. Denique dicendum mihi videtur de iis enuntiatis relativis[1]), quae locum interrogationum obliquarum obtinere quodam modo videri possunt. Permulti sunt loci, ubi Ciceronem post verba sentiendi aut declarandi pronomina demonstrativa et relativa inter sese coniunxisse videmus. Veluti, ut pauca afferam huius rei exempla:

Quinct. 13: Verum his de rebus non necesse habeo dicere ea, quae me P. Quinctius cupit commemorare.
Sex. Rosc. 105: Illa videamus, quae consecuta sunt.
Caec. Div. 33: Haec, quae in medio posita sunt, commemoro.

Pro quibus omnibus enuntiatis relativis interrogationes obliquas poni potuisse apparet : sed hac quam dixi structura tum Cicero videtur usus esse, cum res ut prorsus certas proponere voluit. Atque talia qualia supra attuli exempla dubitandi causam praebere nullo modo possunt, quippe in quibus pronomine demonstrativo structura dilucide significetur. Aliter vero se habent ea enuntiata, quae pronomine demonstrativo non praemisso ex verbo declarandi aut sentiendi aut quaerendi pendent neque tamen coniunctivum recipiunt. Talibus locis editores nonnunquam inter sese dissentiunt, neque desunt, qui aut coniunctivos restituendos aut demonstrativa inserenda arbitrentur esse. Facile autem elucet demonstrativum subintellegendum

---

[1]) cf. Draeger: synt. § 464, 2; Kuehner gramm. § 227, 6.

esse, non inserendum, verbaque tradita recte se habere. Atque in his quoque enuntiatis saepius propterea ut certam expromeret sententiam, Cicero relativam structuram interrogativae videtur mihi praeposuisse. Ceterum cf. Kuehner in gramm. II § 227,6: „Solche Stellen, in denen ein Substantiv, das auf einen Adjektivsatz bezogen ist, aus dem Hauptsatze in diesen versetzt ist, darf man nicht für indirekte Fragen halten. Solche Satzgefüge finden sich in allen Zeiten. — Auch nicht solche Stellen, in welchen vor dem Relativ ein Demonstrativ ergänzt werden kann. Jedoch lassen sich solche Sätze auch als abhängig darstellen und alsdann mufs natürlich der Conjunctiv stehen.“ Recte etiam Krueger utriusque constructionis naturam cognovit, cum haec diceret[1]): „Der syntactische Unterschied zwischen einem (substantivischen) indirecten Fragesatze und einem (adjectivischen) Relativsatze besteht darin, dafs jener unmittelbar auf das Verbum (oder den verbalen Begriff) des Hauptsatzes bezogen wird, während dieser in attributiver Beziehung zu irgend einem wirklich gesetzten oder zu ergänzenden demonstrativen Correlate oder zu irgend einem Nomen des Hauptsatzes steht.“

Nunc autem exempla afferre mihi liceat, quorum ratio ea est, ut correlativa notio subintellegenda et relativa natura agnoscenda sit:

Verr. II 161: Quae sunt gesta, cognoscite.
179: Si quae cognovi in Sicilia, quae accepi ab ipsis, diligenter exposuero.
III 19: Dicent, quae necesse erit.
IV 135: Longum est et non necessarium, commemorare, quae apud quosque visenda sunt tota Asia et Graecia.
Mur. 22: Dicendum est, quod sentio.
Flacc. 13: Dico, quod vereor.
Har. resp. 52: Dicam, quod sentio.
Prov. cons. 18: Quare dicam, quae sentio.
Phil. V 3: Quod sentio, dicam.
Sex. Rosc. 94: Si velim commemorare, quae tum facta sunt.[2])
De or. I 195: Dicam, quod sentio.

---

[1]) Gramm. lat. § 611, 2.
[2]) In Sex. Rosc. 83 recte nunc legitur : Quaeramus maleficium ibi, ubi et est et inveniri potest. cf. C. Muelleri edit. Teubner. partis II vol. I p. XVI.

Brut. 151: Dicam, quod sentio.
Or. 326: Ut brevissime dicam, quod sentio.
Sen. 12: Nihil est admirabilius quam quo modo ille mortem filii tulit.
18: Senatui quae sunt gerenda, praescribo.
Tusc. I 12: Non dico fortasse etiam, quod sentio.[1])
IV 77: Nosti, quae sequuntur.
Parad. 6: Dicam, quod sentio.
Fam. II 18,3: Quae mihi veniebant in mentem, existimavi me ad te oportere scribere.
IV 5,1: Quae mihi veniebant in mentem, decrevi brevi ad te perscribere.
XI 2 (Brut.): Tu quae opus erunt, prospicies.
XII 13,3 (Cass.): Ibi quae cognovimus, scribere ad vos voluimus.
Q. fr. III 7,2: Romam cum venero, quae perspexero, scribam ad te.
Att. XII 42,1: Videbam, quae scribis.
Brut. I 3,1: Scripta ad te certo scio, quae gesta sunt.
17,1: Scribam, quae sentio.[2])

Neque mirum est eiusmodi exempla inveniri, in quibus pro indicativo coniunctivum positum videamus; in quae si diligentius

---

[1]) Tusc. I 29 coniunctivum *demonstrentur* ex Augustino iure restituerunt editores : cf. adn. in ed. Orell. altera.

[2]) Nonnulli loci specie externa similes ita comparati sunt, ut interrogatio obliqua adhiberi omnino non potuerit. cf.:
Q. Rosc. 8: Ego quae clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo.
Arch. 8: Est ridiculum quaerere, quae habere non possumus.
Sest. 85: Dicam, quod sentio et quod mecum sentiunt omnes.
Cael. 50: Quae abs te crudeliter in meos me absente facta sunt, neglego.
Invent. I 109: Quae sequuntur, deinceps in secundo libro dicemus.
De or. I 119: Enuntiabo, quae adhuc semper tacui.
Brut. 20: Expone, quod quaerimus.
Part. or. 2: Sic et ego te meminisse intellegam, quae accepisti, et tu ordine audies, quae requires.
45: Quoniam unde inveniuntur, quae ad fidem pertinent, habeo.
Fin. II 21: Plane dicet, quod intellegit.
Acad. II 86: Pictor videt, quae nos non videmus.
Fam. VI 13,2: Primum scribam, quod intellego et perspicio.
XI 13a, 1 (Brutus): Attendere te volo, quae in manibus sunt.

intuemur, coniunctivum ex aliis causis profectum esse invenimus; velut

α.

ex oratione obliqua.

Cluent. 84: Sapientissimum esse dicunt eum, cui, quod opus sit, ipsi veniat in mentem.

Fam. VII 27,1: Negas me audere, quod sentiam, dicere.

β.

ex qualitatis significatione.

Fam. IV 1,2: Mihi in mentem venire nihil potest non modo quod sperem, sed vix, iam quod audeam optare.

XIV 2,1: Nec habeo, quod scribam.

Att. I 12,4: Quod praeterea ad te scribam, non habeo.

X 13,2: Non reperio, quod tibi scribam.

XII 30,1: Quaero, quod ad te scribam.

XIII 7,1: Non reperio, quod te rescripturum putem.

XIV 7,2: Ad me aut quod ad rem pertineat, aut si nihil erit, quod in buccam venerit, scribes.

XVI 15,3: Quod scribas, habebis quotidie.

γ.

ex attractione modi.

Q. fr. I 1,28: — Ut apud eos ipsos, quod ab iis didicerimus, velimus exprimere.

In omnibus igitur his enuntiatis pronomen demonstrativum subintellegendum esse constat. Sed diversi ab his sunt alii quidam loci, quorum in uno vel altero si recte se habet indicativus, substantivum enuntiati primarii in secundarium translatum est:[1])

Leg. agr. II 49: Hic mihi parumper mentes vestras, Quirites, commovere videor, dum patefacio vobis, quas isti penitus abstrusas insidias se posuisse arbitrantur[2]) contra Cn. Pompeii dignitatem.

III 15: Quoniam qua de causa et quorum causa ille hoc promulgavit[3]), ostendi.

---

[1]) Nullius auctoritatis sunt lectiones *ornatur* de or. II 53 et *transierunt* Att. IX 9,4.

[2]) *arbitrentur* coni. Lambinus.

[3]) *promulgarit* Graevius; *promulaverit* Zumptius.

Fin. IV 67: Quo utuntur[1]) argumento, operae pretium est considerare.

Leg. I 27: Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum affecti sumus[2]), loquuntur.

Off. II 23: Huius tyranni interitus declarat, quantum odium hominum valet[3])

Acad. II 46: — Ut, quanta luce ea circumfusa sunt[4]), possint agnoscere.

Fam. VII 4: Vides, quanto post una futuri sumus.[5])

VIII 15,1 (Caelius): Si scias, quam sollicitus sum[6]) —.

XIV 5,1: Etsi, in quam rempublicam venimus[7]), intellego.

---

[1]) *utantur* Lambinus.

[2]) *sîmus* codex Heinsianus.

[3]) *valeat* codex Bernensis (saec XIII).

[4]) *sint* Davies.

[5]) *simus* Ernesti.

[6]) *sim* Ernesti.

[7]) *veniamus* Lambinus.

Vita.

Natus sum Willibaldus Otto Gutsche Zullichaviae die XVII mens. Iul. a. h. s. LXII patre Hermanno, qui in iudicio, ad quod provocatione certatur, consiliarius fuit, matre Flora, e gente Brutschke, quos adhuc superstites esse gaudeo et quam diutissime servatum iri spero. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus Francofurti (Viadr.) gymnasium Regium Fridericianum, cui tunc Carolus Kock, vir ut de rebus gymnasii optime meritus, ita maxime mihi colendus, praeerat, per decem annos usque ad ver anni LXXXI frequentavi, quo anno maturitatis testimonio instructus numero civium universitatis Fridericianae Halensis cum Vitebergensi consociatae ascriptus sum studiis philologicis operam daturus. Ibi per tria semestria scholis interfui virorum doctissimorum: Ewald, Dittenberger, Dümmler, Haym, Hiller, Keil, Zacher et proseminarii philologici, quod Hiller et Keil vv. d. d. moderabantur, sodalis fui. Deinde autumno a. LXXXII Berolinum me contuli, ubi per sex menses praeceptoribus usus sum cum aliis viris ill., tum Kirchhoff, Koser, Vahlen, Zeller. Ad exercitationes autem philologicas Vahlen benigne me admisit. Denique Halas reversus per tria semestria scholas audivi vir. doct. Dittenberger, Duemmler, Haym, Hiller, Keil, Krohn, Leonhard, Neumann, Ulrici, Wenk; atque ut exercitationibus et proseminarii et seminarii philologici interessem, benignissime mihi permissum est. His omnibus viris illustrissimis optime de me meritis gratias ago quam maximas. Nunc ad studia mea philologica augenda in bibliotheca Regia universitatis Halensis occupatus sum.

Sententiae controversae.

I.

Duo proedrorum genera Athenis nunquam fuerunt.

II.

Tragoedia nomen inde traxit, quod choreutae initio hircorum speciem induerunt.

III.

Sophocl. Electr. 495 sq. legendum propono:

Πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει,
μήποτε, μήποθ' ἡμῖν
ἀψεγὲς πελᾷ τέρας
τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν. —

IV.

Falso C. F. Hermannus „discrimen inter ideam boni et summum bonum nullum esse Platoni“ contendit.

